Nieszporkowicz Ambrosii: Triumphales honoris candidi et candoris honorati coronae—

TRIVMPHALES
Honoris Candidi, & Candoris Honorati
CORONAE
Diuis Martyribus
HONORATO & CANDIDÆ,
Sub Diocletiano Martyrio coronatis,

Dum eorum Corpora,

Sub tempus festiuum celebritatis Anni Tertij Sæcularis, seu trecentesimi, ab Odigitriæ Imaginis prodigiosa in hoc Monte statione, & Fratrum Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ ex Vngaria aduocatorum, per Serenissimum Russiæ Principem, Ducemq; Oppoliensem, Fundatione,

Ex Oppido Częstochowa, ad Montis Clari Basilicam publicæ Exponenda Venerationi

In Solenni totius Poloniæ applausu,

Deportarentur,

Consecratæ,

&

Ad Majorem DEI Gloriam, qui gloriosus est in Sanctis suis Auspicatissimaque Poloniæ Solatia, & Patrocinia,

VIII. Inscriptionibus celebratæ,

Superiorum Permissu.

Per Fratrem AMBROSIVM NIESZPORKOWITZ,
Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ Profess.

Anno Regis Sæculorum, trabeam nostræ Carnis induti

M. DC. LXXXII.

CRACOVIÆ,

Typis FRANCISCI CEZARY, S. R. M. Illustrissimi ac Reuerendissimi Episcopi Cracou: Ducis Seueriæ, Necnon Scholarum Nouoduorscianarum Typogr:



SERENISSIMO *ac* INVICTISSIMO

IOANNI III.

DEI GRATIA

REGI POLONIÆ,

Magno Duci Lithuaniæ, Rusſiæ, Prusſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolenſciæ, Kijouiæ, Volchyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Seueriæ, Czerniechouiæque.

DOMINO CLEMENTISSIMO.

COronas ad Coronas ferimus Serenisſime & Inuictisſime Rex. Triumphales Triumphatori, felicisſimo omine Diuorum HONORATI, & CANDIDÆ, vnde Tibi longæuus in ſubſequentibus Coronis, Victorijs, Triumphisque contingat Honor, Candorque clementioris cœli, candidis dies, annos, ætatesque Tuas Calculis diſtinguat Sæcularem Anni trecenteſimi ſolennitatem opportunè, lœtitiamque Coronarunt, cumque ſub Tuis Serenisſimis, ac Feliciſſimis Auſpicijs, Sæculi tertij termino imponunt Coronidem, Coronamque Quarti initio, cum his Sæcularibus, Tibi Sæculi Noſtri Delicio, Coronis, Triumphales Coronas meritis Patronorum, quos hodie pri-

mùm ſerenior lux ad publicam venerationem exponit, ominantur antehac Romæ in Apollinis Honorem, Dianæque, celebratos conſtat sæculares ludos; faceſſant terrena Numina! in hoc Monte Cœleſti Dianæ MARIÆ inſtitutos perſoluimus; vt quæ ſemper Patriæ felix fortunataque, per trium ſæculorum decurſum extitit, Præſes & Præſidium, in moderna ſolennitate publicis populorum appellata cum precationibus eſſe velit Patrona propitia. Faue Sereniſſime Rex publicæ lœtitiæ, & ex hac tantorum in Regno Tuo Patronorum, ad venerationem expoſitione, bene ominatam ſolij Tui, Regniq; felicitatem ſuſcipe; nec enim fefellerunt eiusmodi cœleſtibus auctoramentis concepta omina, quæ ſuis patrocinijs Tutelarium vota, ad feliciſsimos exitus conſueuerunt promouere. Et hoc ipſum noſtrum erat maximum tantæ ſolennitatis Momentum, Sereniſsimam Majeſtatem Tuam, Auguſtamq; Domum Tuam apud Deum Ter: Opt: Max. Regem ſæculorum, Reginamq; MARIAM publicis votorum oblationibus, proſequi, vt Te quem Nobis victorijs Coronatum ad ſolium dedit fortunatiſſimè, Sæcularium Coronarum feliciſsimis auſpicijs, ad inchoati Sæculi beatitatem in ſolio conſeruet diutiſsimè Quod

Sereniſsimæ Maieſtati Tuæ

Deuinctiſsimum

Supplici Voto precatur

Cœnobium Clari Montis Częſtochouienſis
Fratrum Ordinis S. Pauli Primi
Eremitæ.

AD TRIVMPHALES SS. MARTYRVM CORONAS

Præliminares
O D Æ.

Ad Augustissimam cœlorum, ac terrarum Imperatricem, Matrem DEI, & Virginem

M A R I A M,

Serenissimam, absq; Originali macula

Poloniæ Reginam,

Cujus Imago Odigitria, à S. Luca Euangelista depicta in Cupressina Domus Nazaraeæ Mensa, Anno Dñi, 1382. hîc miraculosè subsistens, Montem Clarum, Clariorem effecit, Pro sæculi Tertij decursu, Quarti auspicato initio.

O D E I.

Virgo Increati Filia Luminis,
Lucisq; Mater: Virgo, Parens simul,
A Prole quando mutuatum
Cœlitibus reseras Serenum;
Conniuet alta, lumine fulgurans,
Torrensq; terras Phœbus, in orbita,
Minorq; Phœbo consodales
Secum hebetat Socios planetas.
Quid quando terras respicis aureo
Dignata vultu? Nonne Serenior
Quam mille Soles duplicatum
E tenebris reuehis nitorem?

Hinc Solis instar suggerit indolem
Viuacitatis Virgo Tuum jubar,
Quod promis, expertesq́; vitæ
Res animas meliore vitâ.
Hucusq́; viuit, viuit in Icone
Tuâ venustas: inq́; coloribus
Lucæ perennat; sed dedisti
Vitam operi, radiosq́; Lucæ.
Te Ciue quantum tunc Solymæ plagas
Dicam beatas! Regia Te Hospitem
Cœli vt recepit, orbitatem
Non querulâ repetam Camænâ.
Nam destinatum pignus amoribus
Nostris relinquis, Numine Imaginem
Tuo beatam, Claritatis
Orbe nouos replicando soles.
Olim trecentis Te Solyma Incolam
Annis fouebat. Sæcula, Principem,
Per quinq́; Byzantij Patronam
Argolici coluére Reges.
Eoa postquam Pergama, pristino
Priuata cultu, deseris; Hospitem
Te Roxolanus: Contribulem
Belza tenet totidem per annos.
Quid Sidus arctas, inuida luminis,
Vmbroso in Arcis Russia carcere?
De nube Solem; Cynthiamq́;
De tenebris Lechiæ reuelas.
En jam per altum labitur æthera.
Nocti caligo concolor, inquies
Per arua Belzæ pœna sternit
Peste fera Scythicas cohortes.
Hic Roxolano prima micat; micat
Et prima Lecho gratia luminis,
Quæ nube pulsâ cæcicatis
Fert placidos animis calores.
Cùm Claritatis Mater, & Inclyta
Sis æuiterni Filia Luminis,
In Monte Claro sempiternum
Iure Tibi solium locasti.
Vt Monte Claro, sidere clarius
Sidus diurno, figere Regiam
Dignaris; orbe clariorem
Prodigijs perhibes vtroq́;.

Hic gratiarum computet auctibus
Momenta censor. Nec vacuus Dies,
Nec hora, momentumq; Virgo
Absq; Tuo properant fauore.
Regina, Princeps, Præses, & Arbitra
Materq; Regni diceris. Hinc nouos
Per dona, latè, gratiarum
In titulos Tibi penna currit.
Sic inchoatum Te Duce Tertium
Finimus æuum. Te Duce, & Auspice
Quartum inchoamus. Esto clemens
Auspicium famulis Patrona!

AdSS. D.N. INNOCENTIVM XI. Pont: Max: cujus peculiari gratia pro Translatione B.B. Corporum in Anno Sæculari Mons Clarus, vberrimas Spirituales gratias, pro populo, deuotionis causâ concurrente, accepit.

Et Indulgentias concessit per speciale Breue quod incipit: *Ad augendam fidelium religionem & animarum salutem*, illo verborum tenore: *Pro Festo Natiuitatis B. V. Immaculatæ, & decem diebus immediatè sequentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam impertimur* De data 1. Iulij Anno 1682.

ODE II.

MVndus immundo Senior sub æuo
Labe detersa cupiens renasci,
Aurea exoptat nitidis reduci
Sæcula bigis.
Vota vix promit subitò benignum
Annuit cœlum. Datur Innocentis
Prodromus Regni noua vaticanæ
Gloria Sedis.
Innocens Candor Tuus INNOCENTI
Pontifex, Orbis Columen, Decusq;,
Præsulum Præsul, Fidei Corona
Maxime Patrum!

Inde felicem renouas juuentam
Sæculi. Candor sinè labe fulget,
Omen, à terris, superisq; charo
Nomine ducens.
Hic PETRI *cingit Cathedras, Pedumq;,*
Ornat hic PETRI *Diadema triplex,*
Quo decus toti patet, & serenum
Fulgurat orbi.
Siuè quà latè patet vniuersus
Orbis adspectas, vigiliq; terras
Contines curâ, Fidei, refulgent
Regna, trophæis.
Et quid ignorent Lechici Triones
Nobilis mundi? quod ab Vrbe Roma
Explicas gratum jubar, Innocentis
Conditor Æui?
Lumen ex alta jaculatus Arce
Spargis æquales radios Olympo,
Queis pigram tandem remoues rigenti
Pectore brumam.
Sentit ardentem, recaletq;, Zelum
Lechiæ tellus. Renouans nocentis
INNOCENS *æui senium; renatos*
Corrigis annos.
Prodigus quando populo thesauros
Affluis cœlo, quibus expiatas
Innouet mentes, auidasque cœli,
Inferat astris.
Hinc Tuum Nomen veneratur ora
Sarmatis: Clarus Tibi Mons reclinem
Verticem subdens, Sobolesq; Pauli
Numen adorat.
Et Palæstinæ nemus omne Palmæ
Fronde Te loetâ reuirens coronet;
Deliæ quondam celebrata Palmæ
Sæcula vince!

Ad Serenissimum, & Inuictissimum Poloniæ Regem IOANNEM III. Sub cuius Singulari Patrocinio, Tutelaque Annum Sæcularem Tertium Mons Clarus celebrat, Cui, Auspicijs Virginis Claro Montanæ MARIÆ, in thaumaturga tabula quæ apud Orientales Imperatores in Aureæ Fortunæ locum, sub Constantino M. successit, venerabilis, Aurea imprecatur supplici voto Sæcula.

ODE

O D E III.

ET quæ Tyrannis bella cubilibus
Exciuit Orci? classica personant;
Et Tauricanas, Bistonasq;
Sollicitant acies ad arma.
Hinc qui remotis subiacet incola
Septemtrionis curribus, obsequi
Non tardat, ausu Martiali
Fœdifragam sceleri pudendo
Opem ministrans; hinc oriens feris
Ferocit armis: cornibus inquies
Infame sidus, luctuosis
Omnibus Lechiæ nefastum.
At quo cruentis cladibus imminent
Prognata Lernæ monstra paludibus?
Rursumne funestum Lechæis
Exitium minitantur oris?
Absiste cœptis Hydra cerastium
Stipata spurcis mille cohortibus;
Depone cristas, atq; septem
Gutturibus prohibeto flammas!
Iam thaumaturga, vindicat, & fouet
Virtute terras Fortis, & Inclytus
Polonus Alcides Ducali
Monstra premens, perimensq; Clauæ.
Tuæ pauebant, monstra Podolijs
Prostrata campis, fulmina dexteræ
Formidolosum cùm Tyrannis
Obijceres CLYPEVM SALVTIS.
Salus Tuorum, vitaq; ciuium
O Magne Princeps, Magnaq; Patrijs
Fortuna momentis, IOANNES
Gemma soli solijq; splendor.
Vno Chotimi dum Tua lugubri
Tot probra busto dextera congerit,
Titanas, Antæos, Typhœos,
Encelados, Titios, Gigesq;
Quæ Pallas, aut quæ Te Dea proprio
Vmbone texit? quæ caput ægide?
Iturna Fratrem qua fouebat
Mortiferas acies retundens?
Te Magna Cœli, Magna POLONIÆ
REGINA curis, incolumem suo
Regemq; Tutanumq; Regno ab
Odrysys voluit Gradiuis.

Hæc Pallas harpen, hæc dedit ægidem,
Leuæq; Parmam. Quid Tibi Perseo
Medusa non truncetur armis
Threyciæ genitura stirpis?
Per Te Podoli gleba novalium
Quàm ritè Thracis pota cruoribus,
Palmasq; Laureasq; profert
Sarmatici segetem Triumphi.
Iam vota nostrûm subditus adjuuat
Frigentis Vrsæ. Promouet AVREA
FORTVNA, *Claro Monte, Clarum*
Auspicijs Patriæ trophæum.
Te glorioso si titulo colit,
Diciq; fecit Te Patriæ Patrem,
Pendere quid non portitore
Regna Tuo velit in lacerto?
FORTVNA *pulchræ seruiat* AVREA
Felicitati. Regna Poloniæ
Te Rege, Regnorum helluones
Memnonij paueant Tyranni.

Ad Serenissimum VLADISLAVM olim Russiæ Principem, DVCEM Oppoliensem, (qui ductam Oppolium, Nutibus Diuinis, ac prodigijs obsecutus, Sacram hîc Anno 1382. reliquit Imaginem) Monasterij Clari Montis Fratrum Ordinis Protoeremitici FVNDATOREM.

ODE IV.

IAm Belzæ cecidit fœda noualibus
Caligo Scythici conscia criminis
Iam celsa radijs Phœbus ab orbita
Terris Nubila dissipat.
Vide vt Sacrilegos vindice fulmine
Prostrauit Nemesis justa, Gigantibus
Victis inferias, & sine debito
Metans funere funera.
Diui quàm faciles rebus vt annuunt
VLADISLAE *Tuis! auxiliaribus*
Impleuere Tuæ jugera Roxiæ, &
Belzæ mœnia copijs.

O quot

O quot pestiferæ busta cadauerum
Congessére acies dum Tibi militant!
Hinc sub Tartareis & gemit, & fremit
Vmbris Phlægra Borysthenis.
Non Te missilium nimbus acuminum
Læsit; nam superùm Te pretiosius
Ancile texit, fulgure detonans
Sacræ fulgor Imaginis.
Hoc felix Scythicas Numine Laureas
Et Palmæ segetem colligis; hac Duce
Æternùm stabilis, nec sterilis Tibi
Famæ surgit adorea.
Triumpho Superi quod Capitolium, aut
Trophæum meritis ponere quod jubent?
Victori statuas quas amat erigi
Iusto Gloria Principi?
Æternum statuit, nec reuocabile
Decretis hominum, Consilium DEI,
Et Matris, simul & Virginis: Erigat
MONS CLARVS *Capitolium!*
Signis edocuit prodigialibus
In Montis statio culmine pertinax.
Confirmant placitum Principis, intimo,
Cœlo nuntia, sensui,
Hoc, Princeps, Solium est! hoc Capitolium
In Montis gremio Regia Virginis.
Triumpha, spolio, quod Tibi Russia
Concessit, speciosior!
Quam pulchrum Lechico, quàm venerabile
Trophæum populo Nobilis Aduena
VLADISLAE *locas, Montis in arduo*
Clari vertice prominens!
Tibi propitio sidere tertium
Felix deproperat gloria Sæculum:
Tibi pro socio munere supplices
Reddit Lechia gratias.
Sed primùm memori Te celebrat Patrem
Voto, progenies Candida, Candidi
Thebæi Patris; hæc Fausta petit triplo
Addi Sæcula Sæculo.

Ad Illustrissimum ac Reuerendissimum D. IOANNEM MAŁACHOWSKI Episcopum Cracouiensem Ducem Seueriæ, eximium Clari Montis Patronum, cujus Authoritate Pastorali, solenniter Beatorum Martyrum Corpora trans feruntur.

O D E V.

Tandem Sarmaticis Candidæ, & Aureæ
Ætates redeant finibus. Optimum
Omen Præsuleo nunquid ab augure
Discit Cracia Stemate?
Sic est. Hæc superum munere gratia
Obtingit Craciæ, Candida Sedibus
Quam modo solidat FASCIA *Principis*
Nulla lege solubili.
Nil mundo solidum, perpetuum nihil,
Cœlum participat. Quæ modò palpebras
Illudunt specie, dissipat omnia
Clades temporis inuidi.
Quod fastu nimiùm crescit, in arduo
Non firmum solio, mole suâ ruit;
Nec veram licitis, pondere prægrauans,
Sedem spondet honoribus.
At quæ legitimis, gloria nascitur
Virtutis potior filia, partubus,
Æternùm stabilem, nec dubium sui
Ponit sideribus thronum.
Nil vnquam properi temporis irrito
Debes arbitrio. Frena licentiæ
Dissoluant alios; Te solidi juuant
Præsul fœdera Stemmatis.
Quàm forti Dominam robore colligas
Virtutem, famulis Præsul Honoribus!
Hoc è Conjugio progenies Tibi
Consurgit Reuerentia.
Extra dissidium, & jurgia mobilis
Fortunæ positus, futile despicis
Vulgi consilium, quo sibi blandiens
Vanis gaudet honoribus.

Hic

Hic est! hic Craciæ Pontificis Decor,
Affinis Patrijs FASCIA *Fascibus;*
Quæ latâ, superum, nexibus arctior,
Claudit dona capedine.
Aras Pontificum hæc, hæc Diademata
Regum nobilitans, in MAŁACHOVIÆ
Laborat meritis, debita gloriæ
Pulchrum FASCIA *Præmium.*
Hæc me cùm niueo fœdere mancipent,
Captiuum teneant Vincula. Candidum,
Euoluat nitidis FASCIA *Fascijs,*
Felix tessera, Sæculum!

Ad Illustrissimum, & Excellentissimum D. ANDREAM De POTOK, in Stanisławow POTOCKI Palatinum Cracouiensem, Lesansicensem, Snatinensem &c. &c. Capitaneum. Singularem Montis Clari Fautorem, & Benefactorem.

ODE VI.

ÆTernitati parta laboribus
Trophæa figo Monte Tuo super
Mater Tonantis, atq; Virgo
Terrigenum, superumq; Princeps
Potita Regnis. Tessera Sanguinis
Potociani est; non humili loco
Ponenda. nam propinqua cœlo
Sarmatiæ celebris per oras;
Cœli trophæis, & superum Patris
Cognata Sceptro; Pilawa triplici in
Crucis decore, Sanctioris
Pace potens, labarum Gradiui,
Potensq; Bello. Stemmatis inclyti
Te prodit index Tergeminæ Crucis,
Quem principali dignitatis
Ire jubet Cracia in curuli,
Potociani gloria Stemmatis
Virtutis Heres, pondere Nominis
Et Fortis ANDREA, *&* Decorus
Nominis ex etymo VIRILIS.

Per Te togatæ Palladis otium
Sagumq; claret Martis in area,
Dum ſubleuas Clauam trinodem,
Patricijs metuendus Armis!
O digna cœlo! dignior aureis
Sceptris Deorum! ſueta per hoſticum
Labore prorſus Herculano
Terrificos domitare Thracas!
Hæc Templa, & Aras; atq; Senacula.
Suffulcit alti robore conſilij,
Labantis hæc Norma Æquitatis
In Patria prohibet ruinam!
Te chara Diuûm Relligio Patrem,
Immunitatum Te quoq; Vindicem,
Et dicit, & ſentit Patronum
Munifico cumulata cenſu.
Vbiq; Clari nominis eminet
Mons Clarus ortu. Clarior Hoſpite,
Ad cujus augmentum Sereni
Sarmatici vigilant triones.
Nec ſola gaudet luminis ambitu
Fœcunda, Lucis Filia, luminum:
Illuſtrat erranti ducatum
Per dubios reſerando calles.
At Te propinquum Luciferum ſui
Honoris, & Te deſtinat Heſperum;
Dum Liberalis Clariorem
Eſſe iubes, adamasq; Montem. Hinc
Coæua Diuis ſacra Themis tuo
Deſcende cœlo, præmia iuſtior,
Decerne voto liberali
Pro meritis Patrio in Senatu.

De

De Sanctorum Martyrum HONORATI & CANDIDÆ Corporibus.

Ex Martyrologio Romano, tum ex Annotationibus Cæſaris Baronij Sorani Congregat: Oratorij.

XXII. Decembris in Martyrologio Rom:

Apud Oſtia Tiberina Sanctorum Martyrum Demetrij, HONORATI & Flori.

Cæſar Baronius Soranus Congregat: Orat. in Notationibus Martyrologij Romani ad 22. Decemb. ſic habet:

d. Demetrij & Soc:) De his Vſuardus, Ado & alij recentiores hac die.

VI. Iunij in Martyrolog: Romano.

Romæ Sancti Artemij cum vxore ſua CANDIDA, & Filia Paulina, qui Artemius ad prædicationem & miracula Sancti Petri Exorciſtæ in Chriſtum credens, & cum omni Domo ſua à Sancto Marcellino Presbytero baptizatus, juſſu Sereni Iudicis plumbatis cæſus, & gladio percuſſus eſt. Vxor verò ejus & Filia in cryptam impulſæ, lapidibus, ruderibusq; ſunt obrutæ.

Cæſar Baronius in Notat: Martyr: Rom: ad 6. Iulij ſic habet:

Artemij, & Soc:) De his hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij. Horum res geſtæ connexæ habentur cum Actis Sanctorum Marcellini & Petri apud Surium tomo 3. ſecunda Iunij. Corpora Artemij, & Paulinæ, translata reperiuntur à Sergio juniori in Titulum Equitij, vt vetus illic poſita teſtatur inſcriptio in marmore inciſa.

Apostolicæ Sedis, ad publicam Sacrarum Reliquiarum SS. Honorati & Candidæ Expositionem Authoritas.

Illustrisimo D. ALEXANDRO à DONHOFF Abbati Andreouiensi concessa, qui easdem Sanctorum Reliquias Clari Montis Ecclesiæ vltimis tabulis attribuit.

ALEXANDER VICTRICIVS DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus Alatrinus.

VNiuersis præsentes nostras Literas inspecturis, lecturis, & audituris fidem facimus, & attestamur, qualiter Nos ad majorem DEI gloriam, & Sanctorum suorum honorem, cum vicesgerentis munere fungeremur, donauimus Illustrissimo Domino Alexandro Comiti à Donhoff. Palatinidæ Siradiensi, Abbatiæ Andreouiensis Administratori perpetuo, Corpora Sanctorum Martyrum, HONORATI & CANDIDÆ, *tunc temporis de mandato Sanctissimi* D. N. INNOCENTII PAPÆ X. *cum alijs Sanctorum Martyrum Corporibus, ex Cæmeterio Calepodij extractis, facultate tunc pariter eidem Illustrissimo D. Alexandro à Nobis concessa, prædicta Sacra Corpora penes se retinendi, alijs donandi, extra Vrbem ferendi, & in quacunque Ecclesia, Oratorio, vel pio loco publicæ venerationi fidelium exponendi de Ordinarij Licentia. In quorum fidem ex parte ejusdem Illustrissimi Comitis nunc requisiti, has præsentes manu Nostra firmatas, Sigilliq; Nostri appensione munitas per Nostrum Secretarium jussimus expediri. In Alma Vrbe hac die 24. Septembr. Anno Iubilei 1650.*

Admittantur Supra nominata Corpora SS. cum alijs Reliquijs nominatis, vt possint publicè exponi. Cracouiæ 18. Ian: 1672. Nicolaus Oborski Episcopus Laodicen: Suffragan: & Officialis Gener: Cracouien:

Alex: Episc: Alatr:

Bernardus Gabriel Secretarius.

Nouissimè hoc Anno 1682. accesit Authoritas Illustrissimi ac Reuerendissimi D. Loci Ordinarij, Ioannis Małachowski, Episcopi Cracouien: Ducis Seueriæ.

TRI-

TRIVMPHALES
HONORIS CANDIDI,
&
CANDORIS HONORATI
CORONÆ.

INSCRIPTIO I.

Coronæ ante Sæcula Electorum In Electis ad Coronas Diuis Martyribus HONORATO & CANDIDA Immutabiles.

QVi lucem habitat inaccessibilem, DEVS, & rationalis creaturæ, auidæ beatitatis menti, in explicato rerum creatarum theatro, stupenda Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatisq; suæ proponit incitamenta, quibus auulsos à mundi perituri monstris, amores, ad spirituum cœlestium imitationem transformatos, inaccessibili suæ gloriæ faciat finitimos, & in jugi suæ Bonitatis contemplatione defigat. Quid enim hic fastiditis terrenæ felicitatis affectibus, cupiat, capiatq; plena cœlo, Deoq; anima? quæ necdum mortalitatis expedita nexibus, mentium immortalium dulcedinem delibando, adhuc in terra, non terrena sapiens, supernæ suauitatis participio beatur. Quamuis terrâ indignus animus, in varietate, & pulchritudine creaturarum, DEI virtutem creatricem stupet; in temporum alterna vice sibi succedentium ordinem perpendit; in diuersarum conseruatione naturarum, admirandam Prouidentiam suspicit; in vniuersi gubernatione Sapientiam considerat; nonnisi vestigia Diuinitatis tenet, per quæ ad Bonitatis illius cognitionem promouetur. Audeat suæ cœlestis indolis conscia mens majora homine! & per tam speciosa quæ terras, cœlosq; implent, vniuersi spectra, eluctata, immensos cœlorum orbes pedibus subigat; ignium flagrantes superet

Sphæras; limpidiſsima quæ circumfluunt Empyreum, ad criſtalli ſolidi formam, enatet roſaria; contempta cœleſtis harmoniâ, cœleſtisq; globi, ad Supernæ Diuorum ter beatæ Domûs peruadat adyta, jamq; terrâ, cœloq; major, in æterni, & immutabilis Boni poſſeſsione conquieſcens, beatam ſibi illo fruendi imponat neceſsitatem. Quis inde ſuam conſummatam felicitatem metiatur? ſic inſertus cœlo, nondum cœli Coronas tenet, ſi quid in exilio terrenæ patriæ, quod eum à tam dulci, beatitatis participio retrahere poteſt, relinquit. Grauat inquilinos cœlorum animos, humore terrenorum affectuum, ad illicita defluens corporis gleba; eademq; viâ, qua Spiritus Princeps apoſtata à Coronis gloriæ ruit, affectu diuiſo labitur, quia non coronatur quamuis vicina DEO, virtutis propriæ, & Beatitatis præſumptio, niſi gratiæ ſuperioris adminiculis fulciatur. Hic Duce, comiteq; gratiâ, immenſus, mundi triumphator exercitus, cùm cœlo Deoq; natas, maturasq; liberauit Animas; & corpus à ſæculi contagio purum, voluntaria caſtigatione extenuatum; aut paſsionis cruentæ ſanguineo luſtratum profluuio, glorioſaque Martyrij victoria decorum, æternitati beatæ in hoſtiam dedicârunt. In ſublimi adeo ſecuritatis faſtigio collocârunt, immortalis Beatitudinis Candidati, ſuam virtute partam felicitatem, vt nec mundus conatus ſit fraudibus appetere vt falleret; nec principatus inferorum impugnare præſumpſit vt perderet; nec inuidere mors, vt cum vita auferret; nec demum annoſi temporis clades impedire, vt glorioſam illorum in ſorte Sanctorum, memoriam obliteraret, quos inter Electum, Dilectumq; cœli Populum, ſupremæ felicitatis gloriâ coronandos, æternum abſq; creati conſilij ſuffragio, Diuinæ mentis decretum præordinauit. Latent adhuc aliorum ad ſupernæ Beatitatis partem, prædeſtinatorum, Electorumq; Coronæ, at hodierna dies Triumphales, ex Victoriæ merito, in Poloniæ cœlo, veſtras mundo reuelauit Coronas, Victrices Cœlo Natæ, Martyrio renatæ Animæ, Inclytiſsimi, & glorioſiſsimi Martyres, Clari Montis Hoſpites HONORATE, & CANDIDA! quas cùm diutius Cœli ſecretorum conſcia Vaticana, in Chriſti Succeſſore, Authoritas, veluti Theſaurum inæſtimabilem ſeruâſſet, cœlo ita rerum locorumq; momenta diſponente, Poloniæ ad venerationem conceſsit, vt publico veſtro cultu, Tu-

telam in aduersis, Patrocinium in desperatis, Suffragium in ambiguis mereretur. Anniuersaria dierum recurrentium vicè, decantatas in Ecclesiarum choro, inter Coronatos Victorum Martyrum Exercitus, audiuit, amauit, laudauitq; memorias; atq; cùm auribus, & oculis vsurpasset, âmassetq; Honorata, Candidaq; Nomina, hodie in publicum exposita veneratur, & in triumphali solennitate, affectuum gestientium loetitiâ, complectitur & Corpora, vt Electorum ab æterno Coronas in Ecclesiæ triumphantis Capitolio cùm recolit, & in Militantis Candida purpurataq; acie, Sanctorum lœtitiâ, meritis, & gloria coronetur. Atque ideo si Elegit nos DEVS ante mundi constitutionem vt essemus Sancti; Sanctitas Electionis ab æterno certitudinem firmabit, meritis perseuerantiæ coronata, quæ nullo vitiorum inquinata confinio, ad imitationem naturæ cœlestis initiatur. Iam tunc Vestræ Electionis æternæ, veluti in primæ lucis exortu, occasum visura nunquam, affulgebat claritas, cùm in vitæ innocentis decursu, magnis meritorum profectibus adolescebat Sanctitas.

ARCANA.

Extra Oracula, Tripodes, Cortinasque,
In Trinitatis Arcano Secretum est;

Quod in Libro vitæ Diuinus Pollex exarauit,
Nec legere, nec corrigere,
Nisi qui scripsit potest.
Non Literarum, sed virtutum elementis
Qui nauauit operam,
Imitatur hujus characteres Libri:
Neque tamen legit oculis,
Nisi cui à communi tributo mortis absoluto,
Singularis beatæ lucis fruitio caliginem detersit.
Quippe idem hîc est & scire legere,
Et se consummatè beatum intelligere.
Tamen qui nondum suæ Electionis Nomen audiuit,
Aliquod illius tenet omen,
Si virtutis continuum exercitium, veluti Electionis rudimentum tenet
In Beatitudinis æternæ Diuis Comprehensoribus
HONORATO & CANDIDA,

Tuæ Electionis habes Imaginem,
Quæ nunquam nota mortalibus est,
Quamdiu ignoto vitæ pendet ab exitu.
Ergo.

Iudicia diuinæ Electionis non ſcrutanda.

I.

EXpanſa cœli lumina,
Solesq́ Cynthiæque,
Orbes ſuperni lucido
Cum ſiderum ſenatu,
Pulchrum, fideli, panditis,
In ordinis recurſu
DEI *Potentis Gloriæ,*
Et Gratiæ theatrum!
Eheu! gementûm læditis
Mortalium querelas,
Dum ſede mota luditis
In Nubilo pupillas!
Salſis laborat naufragum
In lacrymis ſerenum.

II.

Fruſtra diei lampada
Aut noctis increpamus,
Lucem quod orbi nubilo
Offuſa non miniſtrent.
Aſcende Solis eſſedum,
Lunæq́ ſcande bigas,
Quo te planetæ curribus
Prælucidis leuabunt!
Refuſa te quid orbibus
Immenſa lux beabit?
Latet ſecretum ſtellei
Quod fornices recondunt,
Hic æuiternos omnibus
Scripsêre fata curſus.

III.

Quæcunque cœli Numinum,
Aut Luminum phalanges,

Domos,

Domos, Gyrosque cedite,
Et orbitas Olympi!
Tollam polorum cardines,
Et duplicis coluri;
Rimas agente siderum
Regno, quod ære fusum,
Vel sic licebit abditum
Proscenium tueri,
Quod alta summi Regia
Complectitur Tonantis!

IV.

Quid Erro cœli stelleos
Diuagor inter ignes?
Vt quid secretum tædio
Perscrutor inquieto?
Meridiani sideris
Illustre lumen orbis,
Impunè nunquam læditur,
Quin palpebras corusco
Perstringat igne, & limpidas
Reuerberet pupillas!
Sic curiosa læditur
Mens dum cupit videre
Arcana Numen proprijs
Quæ seruat in thesauris.

V.

Et quem requiris Arbitrum,
Aut Consilii ministrum?
Nobis Tuorum perferat
Qui sensa sanctionum?
O quàm timenda consilii!
O quàm colenda! quamq;
Amanda sunt mortalibus
Tuæ Secreta mentis!
Decreta cùm non nouerit,
Nec noscet vllus vnquam,
Æternitatis vendicet
Quem pœna, quem Corona!

VI.

De torque cœlis aureo
Demiſſa Sanctitatis
Docebat olim formulam,
Et Mater, & Magiſtra,
Fides ſuis fidelibus
Suadendo cæcitatem,
Ne curioſo ſenſuum
Palparet illud auſu,
Quis, quod polorum cardines
In abdito recondunt.
Vnum reuelat anxio
Solatium fideli,
Quidquid ſerenis orbibus
Conclauium Tonantis
Felicitatis clauditur.
Mortalis eſſe totum.
DEI *Secreta iugiter*
Amantis, & Timentis

VII.

Electionis gratia HO-
NORATE, *gloriâque*,
Illuſtris in victoria,
Quando explicas trophæa, &
Inter triumphos CANDIDÆ
Candoris innocentis,
Et Victoriæ Clarior
Serenitas coruſcat,
Votis datura Lechicis
Felicitatis ortum.
Quam glorioſè gloriæ
Fulgetis in Coronis,
Victoriarum Laureis,
Et Aureis decori!
Veſtris Coronis pandite
Protectionis vmbram.

INSCRI-

INSCRIPTIO II.

Coronæ in tempore vocatorum, In vocatis ad Coronas Diuis Martyribus HONORATO & CANDIDA, Felices.

QVos prædeſtinauit, hos & vocauit DEVS; vt æterni conſilij decretum ante tempora præfinitum, impleret in tempore, quod, Electos ad fidei rudimenta vocandó reuelauit. Non poſtremum eſt Diuinæ dignationis momentum, quod oblatum gratuitò, ſi quis affectu minùs grato complectitur, in Diuinæ naturæ clementiam, ac in ſeipſum injurius, ſe reprobationis reum teſtatur. Erat quondam Antonio Magno latè longèque projectus terræ ambitus, ſpatioſa Maria, immenſi cœlorum orbes, lucidus majorum, minorumque ſiderum ſenatus, Syntagma Encyclopædiam referens; hîc Sapientiæ cœleſtis Alumnus, Cœliq; Candidatus, admirabiles, nec felicitate cujusuis ingenij interpretandos characteres legit, in quibus ad meliorem è terris in cœlum ſortem, Vocationem ſuam intellexerat. Patent omnibus cœli terræque tabulæ, in quibus Sanctorum Scientiam, cùm DEI formauit, firmauitq; dextera, per tot, in ſilentio ſat eloquentes Oratores, creaturas viſibiles, veluti cœli terræque linguas,

Proiectas in terram animas, cœleſtium inanes,

ad ſuæ beatitudinis participium DEVS euocat; & quaſi non ſatis eſſet offerre vocationis illicia, robuſtiora adhibet incitamenta, quæ ſuauiter innodatam ad obſequendum, pronæ voluntatis indolem, trahant. Aliquando (ex Homeri commento) ſummus Deorum Rex, catenam cœlo demiſerat, vt terreſtres Deos, in ſuæ cœleſtis beatitatis conſortium attraheret. Arbitrabatur dedita terreſtribus oblectamentis Deorum turba, nihil ſupra cœlorum orbes inueniri, quod cum ſolatiolis terreſtribus poſſet in comparationem aduocari; quamobrem demiſsis in terram torquibus, ſiue ſupernæ habitationis inuidiâ, ſiue ſuæ terrenæ beatitatis præſumpta felicitate, ad terrenum, Iouem detrahere, conabatur conſortium. Nondum adeo terreſtres

deliciæ roborauerant vires, vt Cœleſtium Patris præualentes conatibus, illum ad terrenum inclinarent commercium, nam torques in cœlum tracti, miſeros, ac falſæ beatitatis opinione deluſos, in terra Deos reliquerunt. O fatua Numina! terreſtres, mortalesq́ue Dij! quid vobis felicitatem in terra mentimini! quid vanis inflati honorum ſpiritibus tumeſcitis? quid vobis cum terra, quos cœlum heredes petit? Certè quot gratiarum illicia, tot pretioſos torquium orbes cœlum nectit, qui ſucceſsione ſibi cohærentes continua, & à fine vocationis, vsq; ad finem vitæ conſummationis attingentes, imò vtriusq́ue circumvoluentes æternitatis ambitum, non minùs fortiter, quàm ſuauiter trahendo, placidâ dominantur, violentia mentibus quæ tantùm cœleſtibus, æternisq́; appropinquant, quantùm ſupernis vocationibus obſecutæ, à caducarum rerum affectibus elongantur. Major es mundo, ideo cœlum, non mundus, olim Cœli deſtinato ciui metatur brauium, ad quod, vt ad Hereditatem, cùm rationis vſu non pollentes paruulos Competitores, cœli gratuita dignatione adjuta transfert indoles; quos in transuerſum agit præceps cupiditatum impetus, cœlum vocat, ſub triumphalis Coronæ ſchemate, totius ſummam felicitatis complectendo. Caligantem, errantemq́; per fucatas proſperitatis temporaneæ ſcenas, intellectum, ſereniſsimo ſuæ dum illapſu gratiæ colluſtrat; & voluntatem tranquillis, ac dulcedine quadam contemperatis vehementer mouet, promouetq́; affectibus, dumq́; non torpentem ad incitamenta vocationis indolem repererit, vlteriorem comitatum offerens, poſt emenſum vitæ, virtutisq́; ſtadium, victorem in meta coronat. Atq́ue ideo ſi vocationi obediendum, quid rebus perituris mentem applicas? reſeca cupiditatum retinacula, viator es: Currendum eſt, depone Sarcinas, ſtadiodromus es: ad Patriam tendendum; projice poſt tergum omnia Exul es. Trita eſt ad brauium, Coronasq́; via; nota eſt; quam tot antecedentes cœli Candidatorum exercitus dum intrepido calcaſſent veſtigio, arduam antehac, aſperam, & difficilem, obſcuram, abſtruſamq́;, Heroicis exemplis, ad imitationem perfacilem, illuſtrem, notam, complanatamq́; effecerunt. Veſtram hodie in obſequendo vocationi promptitudinem, dum remuneratur cœlum, & veſtra imitationi terris reliquit veſtigia, cœlo debitæ, deditæq́; Animæ.

Coronat

Coronat Tuam sociali Demetrij, & Flori merito, in obsequendo patefactæ fidei alacritatem, & constantiam, æternitatis Laurea, in proprij Sanguinis trabea ad Regnum vocate HONORATE, Martyr inclyte, qui vocatus, fideliq; adlectus, dilectusq; populo, Triumphantis, & Militantis Ecclesiæ choros coronasti. Recolit propensionem Tuam, ad fidem amplectendam Ecclesia, Illustrissimum & Candidissimum Romanarum Matronarum Sidus, CANDIDA, Martyr inuictissima! totque Tibi cœlum referre tenetur æternum Laureolas, quot exemplo, hortamentisque Tuis, è numeroso domesticæ Tuæ familiæ cætu, cum Artemio Conjuge, Paulinaq; Filia, ad Martyrij laureas immarcescibiles aduocasti. Æternæ felicitatis Fecialis, Christi Confessor, Martyrq; Petrus, Fidem Tuæ inuexit Domui, nec diu Diuinæ vocationis interpreti, cunctandum, laborandumq; fuit, dum Tu tacitis gratiæ vocantis obsecuta nutibus, Te tanto beneficio dignam præstitisti, cujus exemplo tota salutaribus vndis à Marcellino Presbytero lustrata Domus, Te proprio merito sat Candidam, suæ fidei in Tuum exemplum refusione fecit Candidissimam. Ad Brauium vocationis Coronati dum quiescitis, & Stadium decurrentibus fauete, meritorumque Suffragio, Clientum vestrorum ad Coronas cursum promouete.

MONITORIVM.

Viatores ad Metam cùm vocat DEVS,
Prius implet aurem voce, quàm rebus oculos.
Ità Salutis initium in aurium sensu posuit,
Vt hac insinuentur in cor arcana fidei:
Nec oculis tantum creditur;
Qui cùm illecebrosa veritatis falluntur imagine,
Sensus alios in consortium erroris trahunt.
Commune viatorum est malum, Error;
In hoc discrimen proprium amat,
Qui ad vocantis vocem aures obturat.
Per sensum auris, sensum cordis explorat DEVS,
Suauiùs sine voce rebus, ad beneficium, errantes, vocans,
Desiderium sui cùm intendit,
Terrenorum remittit.
Efficacius vocans,

 Euocat

Euocat ad excessum sui;
Quia nemo vocanti obedit alacrius
Quàm qui sui, suorumq́ obliuiscitur,
Salutarem quandam inducit phrenesim
Vt sui suorumq; obliti,
Ad brauium non tam sequantur, quàm ferantur.
Ariadnam hic agit Gratia
Continuo fibulatam nexu auxiliorum successionem porrigens,
Vt Labyrinthæis extricatos erroribus ad Deum reducat,
Qui Meta Sanctorum est, & Corona.
Sperne jam Deos viarum monstratores in triuijs;
Vbi HONORATI & CANDIDÆ
In purpureo sanguine Martyrum relucens Candor
Viam Honoratam sternit.
Vocantis nutum sequentes docent exemplo
Quòd non meretur Patrimonium cœli,
Qui se in terris heredem scribit,
Et in exilio patriam fundat.

Hinc disce:

Beneficio vocationis DEI, Sanctorum Martyrum exemplo HONORATI & CANDIDÆ, parendum.

QVæ Vox dulcisono mihi carmine verberat aurem?
Vox Citharæ, præcordia mulcens.
Qualis Threicij vatis testudo sonabat,
Cum Stygij produxit ab vmbris
Euridicen: qualis Thebarum Pergama struxit,
A centum celeberrima portis.
Nec vox Phæbe tua est. Musarum haud creditur vlla
Tam grata cecinisse choraula.
Scilicet hæc vox est summo quæ fertur Olympo,
Vox latum diffusa per orbem,
Hanc animat vocem communis cura Salutis,
Vox Clamantis, vox & amantis.
Vox sine voce loquens cordi, cogensque monendo,
Ne capiat fallacia sensus,
Impediatq́ sequi, sequimur dum iussa vocantis,
In miseram retrahendo ruinam.

Lux Fidei, atq; DEI, si non infulsit amœna,
Aut ærumna caligine pressit:
Cymmerijs error si te circumfluit vmbris,
Si tendis vel mortis ad vmbras:
Si casum pedibus parat atri ianua Ditis,
Quo præceps occasio trudit:
Blanda volupta suis si fraudum cassibus ambit,
Arcta animo retinacula nectens:
Errantes hæc vox fidei perducit ad ortum, &
Diuinos instillat amores.
Hæc vehit amissum cordis, mentisq; serenum,
Hæc & mortis dissipat vmbras
Hæc vocat ad cursum, stimulat, vocemq; sequentes
Elysios transmittit in agros.
Grata bonis, inuisa malis, inimica superbis;
Ac durè obluctantibus horrens.
Audit HONORATVS *vocem, sequiturq; præitq;,*
Ad supremi culmen Honoris.
CANDIDA *Patricios Romæ proculcat honores,*
Candidior Virtutis Honore.
Dispare sint quamuis Patria; non dispare passu
Per ferrum, lapides, per & ignem.
Per sæuam mortem, cœlorum ad Regna vocati,
Contendunt prensare Coronas.

INSCRIPTIO III.

Coronæ Nominatorum, In Nominatis ad Coronas Diuis Martyribus HONORATO & CANDIDÆ Auspicatæ.

AD pulchram, euocauit contemplatorem animum; calamumq; augusta Vestrorum Nominum majestas, considerationem, HONORATE, & CANDIDA Martyres Inclitissimi, Decora Honoris, Candorisque Nomina, cùm ab Honore passionis, Candoreq; innocentis vitæ, quo cœlum, terramq; impleuistis, pondus desumunt, vanam in appellatione, fucati verborum apparatûs assentationem non admittunt. Et hæc quidem, honorifica, sinceraq; ad fidei veritatem, & intrepidæ Confessio-

nis fortitudinem, vel ſanguinis liberali conſignandam profluuio, incitamenta, dederunt Nomina, vt mens contemptrix terrenorum, ſuæ indolis, ad Virtutem, & immortalitatis gloriam natæ, conſcia, eò per heroicos, Virtutum, Fidei, Confeſſionis, & Paſſionis actus auderet peruadere, quo auguſtorum ſenſus arcanus Nominum, magnis Honoribus Candoribusq; cœli deſtinatas, terrenorum, tyrannorumq; triumphatrices Animas prouocabat. Celeberrimus olim Græcis, Romanisq; fuit Nominalium dies, in quo filijs, magna ad votum, ad familiarum propagationem, & ornamentum, auguſta, rerumq; eximiarum prænuntia, imponebantur Nomina; accidit tamen non infrequens, quod abortiui à majorum virtute, Sanctis moribus, Paternarumq; inſtitutionum deſertores filij, majeſtatem Nominum, & ſignificationem, indignis, ac indecoris, vitæ, in omnem projectæ licentiam, actibus profanando, majorum expectationem fallerent, partamq; virtutum heroicis actibus, antecesſorum gloriam inceſtarent. Cœlum, credo quidem, terra ad ſecreti commercium non admiſſa, feſtum celebrauit Nominalium veſtrorum diem, cùm vobis Honoris, Candorisq; auſpicata conceſſit Nomina, Veſtræ felicitatis præſaga, quam vobis, ad plenam ſignificationis menſuram conferre præfiniuit. Certè ſi (vt prodit Lampidius) *Nomina inſignia oneroſa ſunt*, vt quod Nominis fert ſignificatio, proſequatur conatu heroico in defeſſa virtutis exercitatio, ne dum nudi Nominis Laudem, Honorem, Decoremq; aucupamur, & circum ferimus, juſtum vel ab exprobratore cœlo terraq; ob violati Nominis reuerentiam, conuitium ſortiamur. Quamuis exactore nullo, monitoreque egeat, ſuapte natura ad virtutis amorem, rectiq; tenacitatem propendens generoſus animus; tamen à cœlis hortamenta ſuſcipiens, & in virtutis torpentes cliuo, ad ignominiam, dedecusq; damnatos relinquens animos, cognata Superis indole, juſtum pulchro Nomini tributum pendit. Singularibus perſonis Nomina ab aliqua proprietate, vel operatione ſemper imponi, Lux & Norma Doctorum aſſeruit D. Thomas Doctor Angelicus; aliter vobis cum egit ſecretum Diuinæ mentis conſilium, quod ante proprietates innatæ virtutis, ante operationes, quibus imponi vobis deberent Nomina, oculis, aut auribus Mortalium vſurpatas,

tas, præclaris futura vestra merita insigniuit Nominibus, vt non casu quodam, ex hominum arbitrio, at è præsagiente virtutes, & merita cœlo, aduenisse credantur. Non venit vnquam in vos Nominis violati probrum, vt audiretis (quod nonnemo illustris prærogatiuam Nominis vitiorum turpitudine dehonestans audiuit) *Aut Nomen mutato, aut non esto!* in Christianorum nonnullorum confusionem vergens, in quibus nonnisi nuda Christiani Nominis appellatio cùm pateat, se cum Religionis probro Pseudochristianos ostendunt, qui fauoribus tanto inimicas nomini sectas dignati, & amoribus, & moribus imitari non verentur. Iusti in vobis possessionem Nominis, Virtus, & Innocentia, Honor & Candor demonstrat. Nam secundùm Illustrem Sanctitatis, & doctrinæ merito Patriarcham Ierosolymorum Cyrillum, *Sicut Dominum prædiorum tituli affixi proloquuntur, ità Nomina ipsa Sanctorum merita indicant:* quis tam criticus Nomenclator, & exactor erit, vt vestrorum Nominum præsaga omina in censuram trahat, quos cœlum hodie & ab Innocentia Candidis, & à gloria Martyrij Honoratis Coronis, & in terris hodie publico triumpho coronat, tamq; pretiosorum Nominum vocabula, Vobis in temporalem, æternamque concessisse gloriam gratulatur.

NOMENCLATVRA.

Cùm alijs carò plerumq; veniant præclara Nomina,
Nec vobis concessa gratuitò
Nominum, & ominum Inclyti gloria
HONORATE & CANDIDA.
Illustria in illis ornamenta cùm cœlum congessisset,
Ad amussim etymi, factis pulchram significationem addidistis,
Non nudi heredes Nominis,
Æterno Honori cognatus Honor, æterno Candori Candor,
Et gloriæ, & Lucis fecit filios,
Quos vt ad Coronas initiaret & Sceptra,
Candidam Innocentiæ trabeam, in Sanguinis purpurisso tinxit;
Secura per ignominiam viâ, ad Honorem prouehendo.
Impleuistis & hîc mensuram Nominum,
Vbi beneficio præsentiæ vestræ infamia tribunalia dignati,
Ignominiâ, Carceres, & Vmbris absoluistis.
Hoc Honoris, illud Candoris Tui donum est

HONORATE & CANDIDA.

Quam vt in toto Candidam credas,
Probat non inducta ex nidore fumantium
Idolis victimarum fuligo.
Illustriorem in Ea Candorem intueri si desideras
Tunc illum ostendit liberalius,
Cùm fidei meritum, Coronasque suæ non incidens familiæ,
Fidei Confessores, Tyrannorum victores fecit.
Serenus Præfectus, vmbrarum mancipium,
Principis tenebrarum, pro tribunali opus peragens,
Illustris Serenitatis Nomini probrum cùm adspersisset,
Vestrum illustrauit Candorem.
Illustrioribus hodie incrementis fulget,
Vbi in vno triumphi commercio
Candori Honor, Honori Candor
ancillatur.
Hic vide quomodo

Illustrium Nominum Sancti Mensuram implent.

D. HONORATVS, Honoris Author, & Auctor.

NOmen Honoratus, pulchro præcellit Honore,
Ex quo sortitur Nomine Nomen, Honor.
Vicit Honoratus mundum, gladium, atq; Tyrannum,
Quid non obtineat præmia Victor Honor?
Ditat Honoratus meritis cœlumq;, polumq;,
Et Lechiam proprio Corpore Diues Honor.
Sponsat Honoratus cœlis Animam; Lechiæq;
An non concesso est Corpore Sponsus Honor?
Candet Honoratus Sanctorum luce refulgens,
Hoc est insignis lumine Candor Honor.
Viuit Honoratus vitâ meliore, locoq;
Tempore vt æterno, dicite, viuat Honor!
Dulcat Honoratus fastidia mentis amaræ,
An non mella fluit dulcia Dulcis Honor?
Mundat Honoratus reprobi contagia mundi,
Nec mundi adspersus puluere Mundus Honor.
Ludit Honoratus Palmis, Luditq; Coronis,
At mundi illusit præmia lusus Honor.
Scribit Honoratus Lechiæ diploma, Salutem,
Fulgeat in pulchro sanguine Scriptus Honor.

Nubit

Nubit Honoratus Cœlo, ſed ſanguine nubit
At nunc eſt Patriæ, Corpore Nuptus Honor.
Claret Honoratus claris noſtro orbe triumphis!
Montis erit Clari in culmine Clarus Honor.

Nomen & etymum D. Martyris CANDIDÆ Inclytiſſimæ Heroinæ, Senatoriæ dignitatis Romanæ, illuſtre.

CAndida Candidior titulis, & Nomine, quando
Virtutum meritis Candida Gemma nites.
Gemma nites, ſed jam Claro cum in Monte quieſcis,
Nunc inter Palmas Candida, Palma vires.
Palma vires, Cœlos ſublimi vertice tangens,
Hic inter Stellas Candida Stella micas.
Stella micas, Stellis noſtro clementior orbi,
Influxus tribuens Candida Luna nites.
Luna nites; terris Candorem quando refundis,
Sarmatiæ cœlo Candida Candor eris.
Candor eris Superis placitus, Virtutis amatur
Candor: & hic cœlo Candida Rachel eris.
Rachel eris, quam forma, pudor, quam gloria genti
Ornat Romanæ, Candida Pulchra nimis.
Pulchra nimis ſummo placuit quæ chara Tonanti,
Si Virtute places Candida, Nimpha places.
Nimpha places, Latiæ quondam lux inclyta Romæ,
Nunc Montis Clari Candida Verna Roſa es
Verna Roſa es: verùm lapidum repetita, Tyranni
Fulmina non metuens, Candida Laurus eris.
Laurus eris, Phæbo quondam dilecta, Supremi
Nunc inter Sponſas Candida Sponſa DEI es.
Sponſa DEI es; Sceptri, proprio redimita cruore,
Et Regni Conſors, Candida Regna foue.
Regna foue Lechiæ, Lechiæ quæ Sceptra gerenti
Grata es, Nunc famulis Candida grata Lechis.
Grata Lechis meritis; meritis opulenta, fouebis
Diuitijs Patriam Candida Diues opum.
Diues opum cum ſis Regnum Regemq; fouendo
Sic Clari ſemper Candida Montis Honos.

INSCRIPTIO IV.

Coronæ ad Tribunal Fidei Confeſſorum, In Confeſſoribus Fidei Diuis Martyribus HONORATO & CANDIDA Illuſtres.

AD illibatæ Fidei Confeſſionem, euocant Vos Tyrannorum tribunalia, glorioſiſſimi æuiternæ Competitores Laureæ, HONORATE, & CANDIDA. Rigidam, ſeueramq; neceſſitatem imponunt, vt ad Sacrilegorum tranſeuntes obſeruationem, rituum, falſorum cultu Deorum contaminati, Fidei Deoq; renuntietis, aut vitæ bonorumq; jacturam patiamini. Fidem Baptiſmi Sacramento pactam, requirit DEVS, cujus deſertionem artifici terrore, & minis extorquet Tyrannus. Perfidiæ contemptu Fidem intaminatam offerte DEO, primum, ac principale veſtræ Confeſſionis libamen, & hoc inter potiora veſtræ felicitatis munera computate, quòd vos Fidei, Nominis, Honorisq; ſui Tutores, ac Propugnatores præordinauerit, vt illi ſine vllo potentiæ Sæcularis pauore, ſerena fronte, libera voce, animo intrepido, ſincero pectore, teſtimonium proferretis. Profiteri ex Sancto, rectoq; conſcientiæ dictamine tenemini; noſtis non ſine æternæ vitæ, honorisque veſtri nociturum diſpendio, ſi negaueritis: nec enim ſiuè hoc teſtimonio, Martyris gloria conſciſcitur, nec pulchra tam auguſti ſignificatio nominis adimpletur. Sanè dignam indole veſtra, in hoc Confesſionis theatro, aperuiſtis cœlo, terræque Scenam, vbi illuſtre Fidei certamen ſuſceptum, Veſtram ad Coronas, & Martyrium, heroico auſu prouectam ambitionem promouet, & magnis, in Eccleſiæ triumphantis, ac Militantis, cœlo, Honoribus æternis adlaborat. Quamuis inter vtriusque præclari nominis ſignificationem vſus diſcernat Eccleſiæ, & illos Martyrum dignatur appellatione, qui violentam pro Chriſto mortem oppetere non reformidantes, triumphales ſanguine ſuo tinxerunt ſibi trabeas, temporalis vitæ diſpendijs, ad æternam translati; & hos titulis Confeſſorum inſigniuit, qui cruciatus,

inter

inter minasque mortis Fidem, Nomenq; ſalutare Chriſti profitentur, ejusdem aſſertionis gratiâ, ſubire mortis ſententiam parati: vtrumque honorificum adeo Nomen vobis conceſſit cœlum, quod vos per primam Confeſſionis victoriam, ad Martyrij Coronas initiauit. Quid vobis audaci confidentia, laudataque præſumptione à Deo polliceri ſalutem non poteſtis, qui D E I Confeſſionem ſaluti veſtræ prætuliſtis? Nunquid non pulchrum Cœlo ſpectaculum eſt, inter formidanda crudelitatis inſtrumenta, liberum, ſuiq; dominum perſiſtere, & ad repetitas, vaferrimis fucati ſæculi præſtigijs, lenociniorum illecebras, aut exquiſitum fero ingenio, tormentorum apparatum; inter ſonantium armorum terrores; inter frendentium belluarum rictus, adamantis inſtar durari? Pone ante oculos Cœleſtium Procerum admiratorem Senatum; victorem Martyrum Exercitum ſpectatorem, totumq́, cœleſtem populum, ad Coronas ſuffragatorem intuere, demum, & D E V M Confesſioni Coronas decernentem cogita, & incomparabile cum præmio Confeſſorum inuenies, quidquid pretioſum, quidquid magnum, quidquid præcellens, & eximium mundi felicitas habet. Frangat violentia tormentorum corpus, non confitendi libertatem; tollat vitam, non animam; amplas poſſeſſiones eripiat, non innocentis vitæ meritum; tollat omnia, non DEVM. Tantùm intereſt Fidei teſtimonium dare, quantùm vitæ æternæ pretium poteſt æſtimari ſed & ſi acres per atria tyrannorum, curioſior oculos animi circumferes, videbis olim inter juſtos, ad duram quæſtionem excipiendam, coram tribunalibus, & impios, conſiderato, æſtimatoque Confeſſionis pretio impulſos, ſtetiſſe, vt, qui antea aut factis, aut verbis, metu compulſi, fidem negauerant, Chriſtiani confeſsione Nominis, ad ſperſam fidei labem detergerent, ſanguine deinde profuſo liberaliùs eluendam; itaq; luſtrati, inter fulgentem Sanctorum gloriâ, Cœleſtium Procerum Senatum, inſererentur. Primum Confeſſionis adepti munus, Martyrij Laureas, hodie in recapitulationem, ſic partam terræ dediſtis gloriam; vt in veneratione veſtra, inde merendi ſumeret initium, vnde vos cœleſtis beatitudinis fruendi gloriâ, premium inchoaſtis.

THEOREMATA.

Honor Candorque Ecclesiæ,
In vestræ fidei Confessione euasit illustrior.

Ad duram Quæstionem vocati
Vno omnia Arcana Fidei, soluistis, & confirmastis verbo:
Credo,
Quod omnium Fidei Quæstionum nodos,
Aut soluit, aut ligat.
Cuius Palæstræ essetis Discipuli
In rigido coram Tyrannis, cœlum, explorauit examine,
Hoc ad vestram prærogatiuam pertinere visum,
Quos Fides ad Coronas debuit promouere.
Magistri, qui corda docet, dignitatem ostendistis;
Vestro liberè profitendi Magisterio,
Cujus primum Candida rudimentum dedit, in domesticis;
Quæ dum candoris cœlestis illapsa fidem suscepit,
Facta est Filia Lucis,
Dumque in familia eandem notam, & illustrem fecisset,
Facta est Mater Sanctitatis.
Coram Tribunalibus,
Pro DEO, & pro Vestro Honore, & Candore perorastis,
Adeo cumpari nexu & vester & DEI Honor fidesq; Candor, fœderatur.
Pro Christo, Fideq; verba non dare non potuistis,
Qui pro eodem vitam profudistis.
Primum hic Martyres DEO obtulistis libamen
Quod est à Confessione Fidei
Secundùm quod à Sanguinis profusione est, consecrastis.
Ex quo

In Confessione Fidei Sanctorum Martyrum
HONORATI & CANDIDÆ
Constantia.

QVem nata cœlo progenies, suo
Concessa terris flexanimis Fides
Dignata præsigni fauore
Constituit lateri propinquam;
Vt insolenti cedere turbini
Immota cautes nescia, culmine,
Perdurat in alto, furentes
Despiciens per inane Cauros:

Aut

Aut æstuosi per medium maris
Rupes refringens prælia fluctuum,
Thetynq́, Doridemq́ sæuam, &
Oceani superat tridentes.
Sic obstinato robore fulmina
Temnunt minarum quos Fidei entheus
Durauit ardor, sic repugnant
Magnanimi pugiles Tyrannis.
Propone Sphinges, atq́ Sophismata,
Stoasq́ vafro dogmate nobiles;
Noctesq́ præclaras Sophorum,
Et Socratis resera palæstras:
Aut fortè plenis obuia Cornibus
Felicitatis funde crepundia,
Vitæq́ fato longiori
Concilio famulas Sorores:
Quascunq́ præbe mille Tyrannidis
Artes nocendi: mortibus expedi
Crudelitatis apparatum;
Aut Erebi trahe monstra claustris.
Nunquam tenacem propositi Virum
Ab æquitatis deijcient gradu,
Securitatis in theatro
Quem Fidei Clypeus tuetur.
Hæc justa fulget lumine, Martyrum
Confessionis gloria; prodroma
Victoriarum, quæ recenset
Absque dati pretio cruoris.
Hæc prima vestra est, hæc Sapientia
Sic nosse pugnas, posseque vincere,
Et ante fuuestum Tyranni
Esse sui Dominum tribunal.

INSCRIPTIO V.

Coronæ pro Vita, Vitæ Contemptorum, In Vitæ pro Vita Contemptoribus Diuis Martyribus HONORATO & CANDIDA Pretiosæ.

EA est ad beatam immortalitatem aspirantium animorum indoles, vt pro vitæ immortalis, ac immutabilis sorte consequenda, non tantùm bonorum temporalium, dispendia, at ipsius quoque tem-

 poralis

poralis vitæ jacturam, hilari excipiant animo, omniaq; in Fortunæ bonis detrimenta, inter præcipua emolumenta computent. Sic expediti, nec prægnantibus mundanorum desideriorum votis, dum seipsis majores extra mundum, excussa terrenæ spei Sarcina, nuda mente, nudis affectibus ad Patriæ supernæ felicitatem feruntur, quis negabit illos ad beatarum mentium naturam propius accedere? illud sibi putant quàm proprium, non moueri caducis, perituris non inhærere, ad sempiterna festinare, & temporalis vitæ pretio, æternitatem vitæ mercari. Vestræ naturæ proprium est, conditioni consentaneum, votis fortunatum, affectibus dulce, æterno gloriosum nomini, Superis gratum: vitam æternam quærere, & temporalis amisionem lucrum putare. Sic extra mortalitatis conditionem erecti; in terris extra terram, in vita inter cœlestium choros agentes, cœlestem in terris conditionem imitamini; hinc merito sub Vestris pedibus mundus succumbit, terra cedit, amarescit vita qui ad hoc seruati estis, vt mundi, terræ, vitæque Vestræ Domini, mundo, terra, vitaq; triumphatâ, Martyrum, in pasionis exercitio, & gloriæ commercio, dignitatem assequi possetis. Non modica hinc est felicitatis accesio Christi Pasionum consortem existere, carere imminentibus in mortis liminè, animi tempestatibus, nec inter cruentam anxietatum in male conscij cordis arcano stragem, in communi cum cæteris sorte misceri. Illum sic morte Iustorum mori pigeat, quem male vixisse pudet. Ad ærumnas temporalis vitæ torpeat inglorius, qui se æternitati natum non meminit. Laudat vetustas Cleombrotum, qui cum Platonem Diuinum de animarum immortalitate legisset, immortalitatis cupidus, ambitione adeo pulchra permotus voluntariam sibi consciuit mortem. Liberali voce Calanum vnum ex Brachmanibus Indorum Philosophis, Cicero laudat, qui vt animum æterna beandum luce ad Superos transmitteret, non ingrata rogis infernalibus hostia, se cremandum in flammas præcipitauit. Par animi magnitudo in temporalis vitæ contemptu à Lactantio memoratur in Cleanthe Philosopho, ex cognitione animarum immortalitatis, æternitatis beatæ sortem ambiente, in Zenone, & Empedocle, qui

Deus

Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles ardentem feruidus Ætnam
Insiluit,

Vt projecto, crematoq; corpore Diuinitatis naturæ cognata mēs, extra mortalitatis ærumnas, limitesq́; se transferens, beatitatis cœlestis commercio frueretur. Nonne & Romanæ Sapientiæ princeps Cato Ciceronis ore scriptoq́ue laudatus, in animarum immortalitate, gloriosam nactus moriendi causam, sibi vitam ademit? At facessite contemptæ Deorum infernalium victimæ, quæ temporalem aucupando apud posteros famam, æternam vobis ignominiam comparastis. Alia ambitionis causa in Christianis Athletis, quos ad contemptum vitæ quærendamq́; mortem non vana æstimatio, sed Christianæ Zelus Fidei, beatæ immortalitatis retributio, Honor, cultusq́; DEI accendit, qui moriendi quandoq; necessitatem præuenientes vitæ, mortisq́; victoria, sic expositam non amittunt vitam, sed commutant; cumq; mortalium conditioni parendum sit, nec referat quid quam sicca ne per os in mortuali grabato egrediatur anima, aut per jugulum percussum gladio, hiantiaque vulnera, cruenta egrediatur anima, vitam, animamq́; non necessitati extremæ, at Virtuti heroicæ inuicti Pugiles, animarum vitæq́ue, pro DEO contemptores, faciunt subseruire. Qui vel primis, immortalis vitæ dulcedinem delibârunt affectibus, nil ità appetendum, optandumq́; putant, quàm quotidianis cladibus, ruinisq́ue eripi, quàm exui malis mundi. Laudarem illorum veterum morem, qui natum ad vsuram communis vitæ, lacrymis excipiebant, & veluti vita iam defuncto, vix nato parentalium solennitatem instituebant; mortuosq́ue, communibus calamitatibus exemptos in funeralis honoris pompa plausu, & gratulationibus lœtabundi prosequebantur; si cognoscere, aut suspicari liceret, ab ærumnis beneficio mortis, exemptos, intra sinum felicitatis æternæ conseruatos. Id solum est priuilegium illorum, quorum apud DEVM, in contemptu vita, cùm grata extitisset, & mors pretiosa fuit. Posthabent præsentem vitam futuræ, & sibi in hoc tam augustæ naturæ commercio, versari tormentum putant, quos cœli amplitudo deposcit.

TROPHÆA.

Cœlo Terræque,
Nullus trophæum ſtatuit illuſtrius,
Quam qui de ſeipſo triumphans,
Ad cœleſte Capitolium ſeipſum in triumpho ducit.
Cùm plerumque Victoriæ pro vita conſeruanda militent,
Noua vincendi ratio, vitam ſub jugum miſſam amittere,
Hoc proprium Martyrum eſt,
Qui potiorem vitam, non aliter quam vitæ diſpendio comparant.

Honor, Candorq; Cœleſtis.

HONORATVM & CANDIDAM

Ad Vitam vocat,

Qua dignos ſe vitæ contemptu, fecerunt.
Solis Nominibus pretioſam ſui cœlis æſtimationem ingeſſerunt,
Vitæ contemptu auxerunt.
Docent;
Non mereri illum, qui contemnere non nouit, vitam,
Hanc enim terrenæ vitæ amatoribus cœlum legem ſcripſit;
Nonniſi vitæ terreſtris contemptores, cœleſti vita dignos haberi.
Amet viuatq; vitam,
Qui in vita ſibi nihil, niſi Deum ſupereſſe cupit,
Qui Vita eſt,
Alioquin, ſi extra hanc Vitam tenebunt Coſmophilum hilares
in vita deliciæ
Riſum prouocabunt Sardonicum.
Quos æternæ uitæ deſiderium tenet,
Illudere mundo, quam ab eo illudi malunt,
Martyrum Exemplo,
In quorum vita ne vile quidquam æſtimaueris
Qui & mortem ipſam
(Quod Chriſtianæ virtutis artificium eſt)
Pretioſam fecerunt.
Diſcimus.

Vel temporalis vitæ diſpendio æternam mereri.

Ergo felicem facili vocatis
Laude mortalem, cui naſcituro,
Aſtra clementis radij tributum
Lumine pendunt?

Ergo

Ergo felicem popularis error
Asserat; Regum cui Principumq;
Inter illustres solium Coronas
Iuno locauit.
Nec Deas dulces sinat otiari
Gratias cœlum: famulæ tenellos
Alligent artus, roseoq; spargant
Germine cunas.
Et vel astrorum patriá beatum
In Iouis magni gremio reclinem
Nutriant paruum crocei Deastrum
Nectaris vsu.
Annuant annos fore delicatos
Fata. demandent socijs Deabus
Pensa pro vita diuturniore
Aùrea duci.
Dextera latas Orientis oras,
Solis Occasum teneat sinistra;
Pertinax Heres, vtriusq; dici
Gaudeat orbis
Seruiat summis Dea cæca jussis:
Seruiat cœlum, tenebrisq; tersum,
Grandinet gemmis, famulumq; votis
Depluat aurum.
Fallimur vanis. Cui scrupulosa
Fata victuro posuere metas,
Longiùs tristem, propiusq; tendit
Mortis ad vrnam.
Duret ætates numerando mille
Vita felici celebrata plausu,
Quam breuis! cujus cadit ad supremam
Terminus oram.
Somnium vitæ pereuntis odi
Quam penes duro Libitina passu
Præpes incedit, tenuisq; vitæ
Territas horas!
Labilis vitæ pretio petenda
Vita cui nullum dominetur æuum,
Nulla cui justo, senium, recursu,
Detrahat ætas.
Alitis vitæ placuit Beati
Immori vobis stadio perennem vt
Mortis indeptam pretio daretur
Viuere Vitam.

Viuite æternam potiore Regno
Martyres vitam! facit æuiternum
Veſtro vbi vobis HONOR, *atq́* CANDOR
Nomine Nomen!

INSCRIPTIO VI.

Coronæ in Victoria Martyrum In Victoribus Diuis Martyribus HONORATO & CANDIDÆ Victorioſæ.

IAm ſubſeruit veſtræ deſiderio voluntatis, temporis neceſſitas, ad Coronas Vos depoſcens, fortes in Victoria Martyres, HONORATE, & CANDIDA: Per ætatum, annorum, menſium, dierum, horarum, momentorumque curſum diſtincta, definitaque tempora, DEVS victoriæ nobis metatur campum; ſi ætates, Annos, Menſes, dies, horas & momenta, in virtutis Chriſtianæ curſu deproperamus. Nam ſi Virtutem Solem eſſe cum Platone aſſerimus, qui duodena quotannis de monſtris cœli victoria triumphat; quid erit aliud annos viuere, quàm de monſtris annua reuolutione impugnantibus triumphare? quæ nos cùm ad vlteriorum annorum curſum transmittunt, ſingulari nos dignari beneficio videntur. Verùm alia eſt Chriſtianorum victoria, quæ non cœleſtium monſtrorum decurſu, ſed virtutis incrementis aut decrementis annos diſtinguit, & promouet; aut ad duriorem Virtutis impingentes cliuum, deijcit, moraturq́;. Ardua eſt Martyrum ad virtutem via, quam ille ſolus contemnit, aut refugit, qui viam ad Coronas, roſis conſtratam putat. At qui non à plena, crepanteq́; laudum humanarum bucca, Victoriæ ſuæ, emeritæq́; Virtutis teſtimonium quærit, per ardua plauſûs popularis theatra eluctatus, ad Coronas, in cœleſtis Capitolij decretas arbitrio contendit. Sic ab vligine terrenarum conſolationum, abſtractus, à ſoliusq́; cœli dependens fauoribus, quid cogitet aliud, niſi ſuis mundum ſubactum pedibus, & ſe quandoque mentium cœleſtium conſortio inſerendum? Obijciantur feris corpora, ceruicibus

uicibus immineant ſecures, inſtrumenta crudelitatis torqueant, corpora membratim concidantur, aperta euoluantur viſcera; in deſpumantibus feruenti reſina, piceque lebetibus coquantur membra, ardentes inter laminas ſtringantur latera, ardeant in flammis, gelentur in frigoribus: mens tamen Diuinæ dignationis conſcia beneficij potiſſimam in pœnis partem æſtimat, ſciens hinc ſuæ prædeſtinationis certitudinem pendere. Ideo inter funeſtos tormentorum apparatus, non frangitur, quem ſpes erigit, non cedit, quem durat gratia, nec quaſſato, lacerato, conſumptoq; corpore mens tangitur, quam ad ſui contemplationem, & perennium conſiderationem prœmiorum, natura Diuinitatis extra rerum humanarum metas erexit. Nonne hæc eſt propria gloriæ Martyrum dos? Veſtra eſt, in Regno Patientiæ victores, ac Triumphatores Reges, & Martyres HONORATE & CANDIDA! Illud profectò Romæ victricis elogium, ſolis Chriſtiani Nominis propugnatoribus applicandum eſt: Et Agere & Pati fortia Romanorum eſt; Et agere & pati fortia Chriſtianorum eſſe, ille ſolus dubitabit, quem in rerum terrenarum quiſquilias abjectum, extraq; merendi ſtatum deliteſcentem, propria conditio ad ignominiam damnat. Hinc veſtræ indolis conſcij glorioſi Martyres, illud probrum deteſtantes, ad acerbitatem tormentorum anhelaſtis, vt reciproca vice Sanguinem pro ſanguine funderetis. Iuſti eſſe non potuiſtis, aut DEO credere, ſi pro eo Sanguinem fundere metuiſſetis, qui pro vobis fuſum toties, in alijs Martyribus meminiſtis. Lapidabatur in Stephano, Crucifigebatur in Petro: gladio feriebatur in Paulo; vrebatur in Laurentio; leonum dentibus comminuebatur in Ignatio; in alijs Martyribus diuerſa tormentorum tolerauit genera: & in veſtro corpore ſibi mori complacuit, quos ad ſuæ paſſionis meritum præordinauit. At quia nihil ſentit corpus in tormento, cujus animus hoſpitatur in cœlo, omnem crudelitatis apparatum, ignes, Cruces, cataſtas, gladios, ſereno intuebitur oculo, qui hæc non tam pœnæ apparatum, quàm gloriæ, & honoris inſtrumenta crediderit; tuncq; ſe optimè viciſſe putabit, cùm ſuccumbit. Hinc & Vos, in vitæ, mortiſq; curſu, nouam regenerationis veſtræ natiuitatem inueniſtis: fine ærumnoſæ vitæ, vitam beatam inchoaſtis. occiſione viuitis, bonorum temporalium

 contem-

contemptu, dispendioque ditescitis; & in cœlorum firmamento, & in terrarum orbe, gloriâ confessionis, virtutumque merito lucetis, qui in tormentis, in catastis, in carcerum vmbris, in vitæ intempestiuo occasu, extincti putabamini. Sed habet suam vitam mors, quæ vitam mutat, non amittit. Habent suam voluptatem & vulnera, de quibus plus manat gloriæ, quàm Sanguinis. Ità qui verè Christi consanguineus est, socio illius cruore in passione decoratur. Iam antehac in se Assertor salutis ostendit, quod in Vobis coronaret. Coronatum te scito cùm ita moreris. Hæc Mors vestram coronat vitam, & cùm aliorum magnificatæ Nobilitatis, & splendidos ortus vrnæ funerales contumulent, & extinguant, Vestram hæc mors illustrat; & in perpetuas fulsurum æternitates splendorem Nominum in firmamenti throno collocat; si aliorum, etiam criminibus contaminatam vitam, confessio, & ità suscepta mors decorauit, Vestram illibatam à Sæculo, pretiosamq; coronabit. Ex quo

LAVREOLÆ.

In Diuis Martyribus HONORATO & CANDIDA

Vitæ Mortisque meritum,
Quia æternum est, in compendium contrahi non patitur.
Tolerat tamen inter mortales, in chartis angustias,
Ex quibus latiùs in ætates eat.
Nullum ei comparatur pretium,
Nisi quod à thesauris æternitatis sumitur.
Nec tolerat claudi vitæ periodis meritum,
Quod se in æternitatem explicat
Quàm pretiosa, tam gloriosa mors Martyrum,
Non admittit plangentes Præficas,
Quæ triumphos decretos habet.
Regium illi Nomen & dignitas, genusq; est à Sanguine temporali
Quo sibi æternum regnaturi tingunt purpuras.
Terræ creditus Gorgonius cruor monstra edidit,
At Martyrum Palmas, & Laureas germinat.
At quia omnia famulari tenentur virtutis merito,
Illis ignominiæ arma ad honoris augmentum cedunt,
Quos æternitatis gloria cœlum decreuit coronare.
Gladius Honoratum cædens, euasit honoratior;

K2 Dumq;

Dumq; Tyranni crudelitati seruiuit,
Obsecutus est Martyris voluntati.
Candida; Romanorum mulierum gemma
Cum Paulina Filia, Mortis, Coronæq; socia,
Impulsa in foueam lapidibus obruitur.
Majorem à mortis vmbra, terræq; tenebris splendorem traxit,
Quàm à pleno meridie felicitatis, vitæq; alij
Hic noua metamorpho lapidum grando
Ex corporis sanguinisq; contactu
In adamantes conuersa est.
Et si Martyrum proprium est,
In ipsis pœnis, contra Tyrannidis pœnas durari,
Necesse illis est, & morte vitam tueri.
Nec Martyrium, nec prœmium amat, qui non odit Sæculum,
Mortisq; ignorat pretium,
Qui vitam præsentem amat.
Felix, Beatusque est,
Qui vitam morte condemnat,
Vt Morte vitam custodiat;
Cui viuere Christus, & mori lucrum.
Quia

In Martyrum inuicta constantia, pretiosa Mors.

CRudeli Phlegetonte satum genus, ebria pulchro
Sanguine Christiadum, Romanas sæua per Arces
Bacchatur, pœnasq; ciet, mortesq; Tyrannis.
Ingluuiem nec passa suam, palearia torquens
Purpureum vomit ore fretum, Tiberisq; cruenta
Illuuie funestat aquas; jam decolor vnda
Erubuit testata nefas, tepidumq; cruorem
Vicinos propero lapsu despumat in amnes.
Quàm tragicum! quàm infame orbi das Roma theatrum!
Præclaris Regum quondam stipata trophæis,
Et deuictorum varijs celebrata triumphis!
Innocuo jam fœda cales maculata cruore,
Dum portentosæ, laniena Tyrannidis Arces
Euasere tuæ. Distendis Martyre turres;
Ingenia tormenta tuo, ferrum, atq; catastæ
Deficiunt; quin sacrilegam ferus ipse, ministram
Tortor damnat opem; desunt quoq; vincula vinctis
Non desunt qui vincla ferant: si proficit ira,
Qui vincat, palmamq; ferat non deficit vnquam
Sæuitiem & vel in externas exporrigit oras

 Ingeni-

Ingenium crudele: comes Libitina, minaces
Et Parcas, & Fata vocat, Tiberinaq; miscet
Ostia funeribus. Nec Te Tua fata morantur
Magne Pugil, quem poscit Honor, quem poscit Honori
Nominis augurium Secreto splenduit auro
In Superum tabulis, pulchro quod stigmate scripsit,
Nomen Sacra Themis, Tibi quod conscivit Honores
Pulcher HONORATE, *in trabea, quam pulchrior olim*
Sanguinis effusi, Victori purpura tinget
Iam venit in solium Præses ferale tribunal
Occupat exactor Fidei, rigidoq; negare
Compellit terrore Fidem. Demetrius inde
Strenuus, hinc, alacrem, generoso pectore Florus
Stipat HONORATVM, *cujus non flectitur vllá*
Mens ferri, mortisq; acie, quin morte beatum
Non vano augurio spondet se quisq; futurum,
Pulchra Trias, fortisq; virûm! mens omnibus vna,
Omnibus vna Fides, moriendiq; vna cupido.
Sub gladium ceruice data cadis inclyte Martyr!
Vincis HONORATE! *at quid non pretiosus Honoris*
Author, & Auctor eris? Pretium sumpsisse cruore
Fertur terra Tuo, postquam maduisset: in imum
Pertigit, & glebas auri, lapidesq; feraces
Præstitit esse; Tui ignauá rubigine tersa
Sanguinis eluuie ignitis arsisse pyropis
Dicitur: hic Tibi Palma virens, hic Laurea surgit,
Pulchra peraugusti monumenta æterna triumphi.
Hic terram florere rosis, hic lilia nasci
Flora tulit, nemorumq; Deæ, Nymphæq; Coronas
Hinc fecére Tuo rubicundas sanguine; serta
Cunctarum hic carpsere cohors numeroso Dearum, &
Fertur HONORATO *letos cecinisse triumphos.*
Ad Te Sarmatico cœlum cum destinat orbi
Et justas terræ jubet instaurare Coronas,
CANDIDA HONORATO *sociam Te Fata dederunt.*
Et mortis vos causa pares, & gloria fecit
Æqualis meriti. Patriæ lux Candida Romæ
Si Te perpetuæ Virtus matura Coronæ
Promouet, atq; sacri laticis iam perluit vnda,
Et tempus, Superiq; vocant, & iussa Sereni
Præsidis; audaces animos, adamanteq; pectus
Indue, Candorem Fidei factura Tyranno.
Dat iugulum Artemius: sequitur Domus inclyta Patrem,
Fida Comes, confessa Fidem, quam sanguine signat.
Et Te Paulinamq; vocat, Pater, atq; Maritus,

Digna

Digno coronari, mortem quæ vincere digna es,
Arbitrio cœli. Mortem decreuit in altis
Visceribus terræ. Infoueam iam CANDIDA *præceps*
Paulina cum Prole ruis! sub pondere pressa
Sidereas Victrix Animam transmittis in oras.
Sic vixisse iuuat: iuuat & periisse. Suprema
Quæ fuit, est hæc prima dies, quâ viuere cælo
Incipiunt, quos vita probat meruisse Coronam.

INSCRIPTIO VII.

Coronæ, Coronas inter, in cœlis, & in terra Triumphatorum, In Triumphantibus inter Coronas, in cœlis, & in terra Diuis Martyribus HONORATO & CANDIDA Triumphales.

CVm hodie vestris cœlum trophæis auctum, vobiscum Inclyti Martyres, HONORATE & CANDIDA, triumphet, & terra ad cœlestis imitationem triumphi prouocatur. Nec adeo sterilis est in vobis insertis cœlo gloriæ perennis magnitudo, quin terræ gratulandi vobis, & applaudendi potestatem conferat; nec adeo inuidum triumphis cœlum, vt nobis gloriam vestram in terris prædicandi adimat facultatem. Vel hæc sola quàm sufficiens nobis triumphandi causa est, quòd potiore sui parte cœlo donati, veluti obsidem amoris terris vestrorum Corporum, honore Martyrij celebres reliquistis exuuias, quæ cùm maxima vestræ sint pars victoriæ, & in Militantis Ecclesiæ cœlo triumphi partem habere debuerunt. Ergo submissa olim ad vnius, veríque DEI venerationem ad Coronas erigite Capita, quæ nunquam ad inanium Deorum adoranda simulacra inclinastis: Manus ad porrectas à cœlo palmas tendite, quas ferreis attritas consecratasq; vinculis, nunquam ad adolenda Idolis thura protendistis: currus triumphales ascendite, in gloria; qui in ignominia, contemptuq;, ab honoribus, fauentisq; fortunæ fastigio dejecti, depressique fuistis. Id enim ad prærogatiuam statûs vestri, in quo cœlum vos æternùm beat, tanquam Coronarum

complementum pertinebat, & hodierna felicitatis vestræ in terris memoria, triumphoque celebrari. Date Aures, & Oculos, triumphis: non ponunt obstaculum immensi cœlorum orbes ne videatis, quod in terris pro DEO, qui in vobis & hodie gloriosus agnoscitur, fieri gratulamini. Non vos absorpsit adeo Diuinæ intuitionis immensa Lux, vt hanc accessionem honoris vestri, in triumphantium populorum plausu, non agnoscatis; nec enim ita consummata videtur vestra felicitas, vt cœlestium orbium definita cancellis, se terris non infunderet, & in vestræ Beatitatis recapitulatione, triumphalem lœtantibus non daret Clientibus jucunditatem. Hinc terrena Majestas, contrahit suam amplitudinem, obscurat serenitatem, illustria vmbris inuoluit decora; celsitudo cogitur in genua; sublimitas inclinat verticem; euanescit fastus, dum terræ vestrorum triumphorum gloria, auribus, animisq; illabitur. Et verò, quæ nobilior victoria? quis triumphus illustrior? quis gloriæ apparatus pretiosior, quàm vestræ, victoriosissimi Martyres, quibus victoriam, non vana mundanorum ambitio subjecit, non popularis famæ mendax exaggerauit præconium, sed quam Christus suo dignatus Regno, Cœlestibus æternùm triumphaturam Capitolijs inuexit. Gaudetis ex vulneribus, tormentisque; exultatis ex mortis ignominia; lœti numeratis vulnera, reuocatis pericula, quibus tanta securitas parta est; honoris, famæ, fortunarumq; dispendia inter beneficia computatis, dum gloriæ triumphalibus onustos spolijs, in cœlesti Patria, suscipit gremiũ imortalitatis. Pro hoc otio, tamq; pretioso victoriæ fructu

Bella geri placuit tantos habitura triumphos,

quibus cœlum Coronam æternitatis imponit, & Coronidem. Gaudent perennibus, Beatæ mentes, Spiritus puri, absque corporis commercio creati, quibus cœlum Patria, primam in splendoribus gratiæ dedit originem: cùm tamen in Triumphantis, ac Militantis Ecclesiæ Capitolio, Corpora Animasq; Martyrum tam augustis honoratas triumphis admirantur, si aliqua inuidentis animi passione tentari, moueri que, absq; beatæ tranquillitatis malacia, possent, id vnum inuiderent felicitati Martyrum, quòd & caduci, mundanaq; illecebra corrupti, vitiatiq; corporis in crudelitatis arma prostitutione, ampliores mereri possunt honores in victoria, quàm natiuæ illorum indolis in

gloria, absque simili ampliùs merendi campo, meritum æstimari. Cùm his æterni triumphi consortio comparati, inter Senatum, Populumq; cœlestem adnumerati, animastis & terram hodie; vt quod vobis in cœlo constitutis, immutabilis donauit felicitas, Corporibus vestris honorẽ tribuendo, in terris, humilis imitetur tenuitas. Triumphat vobis, at vobiscum terra! date hinc illi merendi gratiam, qui tanti triumphi causam præstitistis.

A R C V S.

Majores, minoresq; triumphi Regum cesserunt vobis,
Qui Regum Tyrannorumq; victores euasistis.
Hinc post victorias,
Æternas felicium Spirituum quæsituri sedes
Pro Aureo Ramo, Palmas tulistis.
Tyrannos, si Leones, Tigridesq; dici placet,
Victorum more Leones Tygridesq; ad Triumphum Vos prouehunt
Triumphatores Tyrannorum

HONORATE, & CANDIDA.

Ità & ipsa Tyrannorum iniquitas
Cum se subegisse victos putat,
Ad Honorem triumphi subseruit victoribus.
Latere nobis tantisper, non abscondi potuistis,
Ne vos hic dies retegeret,
Cujus Lucem cœlum vobis fecit tributariam,
Qui tenebrarum principem triumphastis.
Nescistis Noctis opera,
Ideo in Honore, Candoreq; viuitis
Filij Lucis.
Sua se Luce prodit virtus vestra,
Honor, Candorq;,
Et quem terra damnauit ad tenebras,
Cœlum subleuat ad Coronas.
Amet suas vmbras, qui Lucem non meretur;
Vos terræ sinus reuelauit,
Ne repetundarum reus teneretur,
Si debitum publico solatio thesaurum abdidisset:
Vos Honoratis, Candidisq; triumphis restituit,
Quos vobis Honorato, Candidoq; vaticinati in Nomine,
Oraculum felicitatis tulistis.
In Vobis ipsis non integram felicitatem arbitrati,
Ad cœlestis triumphi Societatem comites admittitis
Demetrio stipatur HONORATVS, & Floro
Quos par vincendi causa

Pares promouit ad Coronas.
Candida, cœli Candidata,
Conjugem Artemium, Filiamq; Paulinam ad triumphum assumit, & familiam,
Quæ victas Fidei cum dedisset manus
Victoriam meruit, & triumphum,
Ex quo Honoratum, Candidumq; testimonium est;
Ad Vitam, Honorem gloriamq; triumphi ascendere posse neminem,
Nisi qui mundum, ignominiam, mortemq; calcauerit.
Ergo

Cœlestibus Sanctorum triumphis, applaudendum in terris.

Dithyrambus Alterno Musices Instrumentorum, vocumq; diuersarum choro cantatus, dum Beatorum Martyrum Corpora, ex Oppido Częstochoua ad Montis Clari Basilicam, deportarentur.

IO viuat! viuat Io!
Ter quaterq; concinamus!
Nubibus resultet Echo,
Montibusq; vallibusq;,
Voce debita sonemus
Gloriamq; prædicemus, Gloriam victoriæ!
Ferte fasces Liliorum
Ferte Copiam Rosarum!
Laureaq; Palmeaq;
Fronde Syluæ vestiantur
Terra floribus virescat
In triumphales Coronas, in Coronas gloriæ!
Ergo prome terra cantus
Vocibusq; tange cœlos:
Suscita voces canoras
Quæ Beatorum verendas,
Libero, claroq; plausu,
Concinant laudes, theatris in Tuis ô Patria!
Laude Diuos singulari
Ritè Martyres Patronos
Gloriosos in polorum
Curia Ciues saluta
Supplici voto precando
Vt Tibi illorum frequenti laude fiat gratia.

Millies Salue reclament,
Millies Aue vocantent,
Littoris plausu sonori
Et Napææ, Naiadesq́,
Nobiles Varthæ colonæ.
Viuat Io! Viuat oras per Lechæas deferant!
Hospitesq́ singulares
Sarmatis datos, precentur
Vt fauore prosequantur,
Quos premit cohors malorum,
Porrigant dextram leuantem,
Et relictos in maligna sorte nunquam deserant.

INSCRIPTIO VIII.

Coronæ in Claro Monte ad Venerationem Sublimatorum In Sublimatis Diuis Martyribus HONORATO & CANDIDA. Gloriosæ.

HAnc certè graue rei nostræ momentum exigebat solennitatem, vt eo tempore ad publicos Honores, exultantis Poloniæ vos in hoc monte subleuarent plausus, quo Anni trecentesimi memoria, à prima prodigiosa Aureæ Poloniæ Fortunæ Mariæ, in hoc Monte collocatione celebratur. Per totum trium Sæculorum decursum, auxit abunde Clari Montis hujus Claritudinem, Magnalijs suis, & thaumaturgis operibus MARIA, illustrarunt summorum Pontificum fauores; serenarunt, Serenissimorum Poloniæ Regum amores, beneficia, & præclara non vulgaris deuotionis exempla; ornârunt Illustrissimorum Principum, ac totius Senatûs, Populiq́; Poloni, religionis monumenta, variarumq́; per Europæum orbem, nationum deuotio sublimauit: verùm vt hujus festiuitatis celebritas nouam, auspicatamq́;, non tantùm hujus Montis, at vniuersæ Poloniæ, fœlicitatis accessionem faceret, opportunè vestra in hujus Montis gremium collocantur Lypsana Gloriosissimi Martyres HONORATE, & CANDIDA, vt dum

 hîc

hìc ſupplex confluentium populorum religio, propitium ſibi Numen, Matriſq; D E I M A R I Æ fauores conciliat, & à veſtris meritis, ſuffragijsq́, in publicis priuatiſq; neceſsitatibus promotionis emolumenta ſortiatur. Nec enim ex omni parte quidquam adeo beatum abſolutum, ac independens eſt, vt omni fauore, patrocinioq; cœleſtium non egeat: & Poloniæ felicitas non adeo conſummata, ſibiq́ ſufficiens eſt, vt veſtro non indigeat fauore promoueri. Sunt ſua nauigantibus Numina Tyndaridæ, de cœlo gemini, quos aliquando antennis inſediſſe ſibi mentiebatur antiquitas; placidoq; vultu explicatus Neptunus, quibus tota Claſsis, antequam è portu ſoluerent ſolennibus votis dedicabatur; ſit ſua Sapientiæ Candidatis Pallas, ad arcana theſaurorum ſuorum cortinas remouens; celebretur Apollo vatibus, ad euoluendum futurorum euentuum ordinem amicum Numen; ſint Mars, Bellonaq; militantibus propitia, quæ aciem ordinent, ambiguoſq; ad victoriam ſucceſſus promoueant, Numina: hodie Poloniæ ſufficiat Diuinæ manus Clementiæ, in conceſsis, expoſitiſq; ad venerationem tantorum Patronorum corporibus, quæ receptis in immortalitatis beatæ ſinum Spiritibus, cœlum nobis, vt pretioſos, fidosq; Sanctorum affectûs obſides reliquit, & inter media ſequioris fortunæ diſcrimina Patronos Tutanosq; conſtituit. Et hæc eſt Beatarum in cœlo mentium Honoris Felicitatiſq; acceſſio non poſtrema, quòd vicariâ quadam Diuinæ poteſtatis participatione præpollentes, veluti quoddam ſuæ Beatitatis dotale munus, virtutem thaumaturgam habeant, quâ, opem de terra clientum implorantium, neceſſitates mitibus oculis vſurpantes, & auribus, conferendo, quidquid noxium, inimicumq́ eſt, amoliantur. Hic Honor eſt, quem vobis cœlum contulit glorioſi Martyres, Beatos eſſe, & poſſe facere Beatos. In vobis honorauit Martyrium, cùm vos intra ſummum Altare ſuum collocauit, quo peruadens in Apocalypſi ſua Dilectus Chriſto Diſcipulus Animas Sanctorum quieſcentes vidit. Quàm auguſta Martyrum ſedes! cui Regum ſolia Sceptra Coronaſq; inclinant, terrenarum dignitatum, & celſitudinem ſubmittuntur apices, Patrocinium appellando. Ideoq; Honoris ampliſsima cauſa eſt, titulus Martyris, quem vbi cœlum adeo ſublimi gradu honorat, ad exhibendos Martyribus honores, &

terram

terram exemplo vocat. Cœlos hodie imitatur Polonia, dum, quorum illi immensa gloriæ circumdatas luce, Animas in Altaris throno seruant, illorum & Corpora ad publicos honores exposita in Altaris gremium sublimat. Placet hic illa Romanorum annua festiuitas, in qua circumlatæ majorum in Imaginibus vmbræ, claritatem in posteros, transmittebant, virtutis incitamenta ex decantatis illorum laudibus, conferendo. Eminent jubilantium populorum humeris Diuorum Martyrum HONORATI & CANDIDÆ Lipsana, & Imagines, decantantur præconia, vt tantis virtutum exemplis, in fidelibus Fidei feruor, Sanctorum honor, DEIq; major gloria promoueatur. At cùm vobis sublimem acclinat venerabundus Mons Clarus verticem, cùm publico salutat gratiosos Hospites applausu; cùm obuium ingredientibus substernit gremium, estote Auspicati Poloniæ, Patroni, Fautoresq; gloriosissimi Martyres HONORATE & CANDIDA, quod cùm nobis vniuersæq; Patriæ felicitati, ex vestrorum meritorum suffragiorumq; apud Martyrum Regem, interuentu speramus & pollicemur, scribimus &

O M I N A.

Hospes Montis Clari MARIA
vtpote Mater, Filiaq; Luminis,
Cùm decoris appellatur Titulis
Mater Honorificata, & Mater Candoris Lucis æternæ,
Vt accessoriam Claritatem, Honorem, Candoremque haberet.
Vestris stipatur Corporibus
HONORATE, & CANDIDA.
Quam justè victoribus substernit gremium Mons Clarus,
Principibus olim Viris dictus Mons Victoriæ!
Vt vobis nemo feliciùs cecidit,
Ità sublimius surrexit nemo.
Surgitis tamen sublimati in gloriam
Qui nunquam in ignominia jacuistis.
Diuis adlecti, non exclusistis naturam hominum,
ne humanitatem exhiberetis felices miseris,
Ideo Vos in Monte Sancto Loctantes
Gemens appellat in valle plorationis populus.
Liget sanè aureis torquibus, vinciatque vetustas, aut Fortunæ, ac Penatum, aliorumq; Deorum simulacra in tutelam & patrocinium obligando,

Suffi-

Sufficiat Votis nostris, vestrisque
Pretiosis vos complecti affectibus,
Ad Poloniæ Felicitatem, in Italia nati,
Post Arcis vaticanæ Honores,
Montem Clarum subijstis.
Fuerint plerisq; gentibus mortuorum ossa
pretiosa ad emendum quidquid vellent gaza,
Pretiosum tenemus Lipsana vestra thesaurum,
Quæ cùm nobis concesistis,
Potestatem fecistis apud vos fauores nundinandi.
Spera clementiores de cœlo gratiarum influxus Polonia,
vbi in Claro Monte
Quem olim triumphatis hostibus solis triplicis diadema coronauit.
Mater Lucis MARIA sidus propitium,
HONORATO & CANDIDA
Beneficijs stipatum sideribus
insulget.

Rythmus in Arcu Triumphali, dum Sanctorum Martyrum Corpora intra fortalitij septa illata stationem figerent, à triplici choro cantatus.

SAluete Decus concessum Sarmatis
Clarior sola lux nostri climatis,
Auete nostri Fautores Maximi
Estote Nostri Tutores proximi
Saluete terræ Numina
Auete cœli Lumina.
Honoris Vobis tributum pendimus,
Ad Vos Patroni & manus tendimus,
Fauete nobis Felices miseris
Estote nostri solamen generis
O Dilecti Sarmatiæ
Conferte Dona gratiæ!
Per Vestræ donum cœlestis gratiæ
Frangantur Arma funesta Thraciæ,
Et Nostris Fausti estote Regibus
Nos tyrannorum seruando cædibus
Vos Salutamus Hospites
Estote Nobis Sospites.
Vestrum implorant tutamen vnicè
Quoscunq; cœli spectatis fornicè,

Audite

Audite quotquot nunc ad vos supplicant
Et laudes Vestras canendo replicant
Estote Nostri vindices
O Sancti DEI Milites.
O HONORATE *Honorem Lechiæ*
CANDIDA *& Tu Candorem Patriæ*
Ex auspicato concedis Nomine,
Vt sitis Honor, Candorq; omine
Vobis Coronas nectimus
Supplexq; genu flectimus.

AD TRIVMPHALES CORONAS
SS. Martyrum, Clari Montis, & Poloniæ Patronorum, D.D. HONORATI, & CANDIDÆ, APPENDIX.

POst supplices gratiarum actiones, Sanctissimæ & Indiuiduæ TRINITATI, REGI SÆCVLORVM IMMORTALI, & INVISIBILI, DEO TER OPTIMO, TER MAXIMO, Bonorum omnium Fonti indeficienti, MATRIq; DEI, & VIRGINI MARIÆ, cui in hoc Monte habitare, in thaumaturga Imagine, Virtuteq; mirabilium effectrice, complacuit, præstitas; post Honorem Sanctis publica veneratione attributum, D. PAVLO THEBÆO, ex Vniuersalis Ecclesiæ sensu Eremitarum Authori, & Magistro, Ordinis Patriarchæ, Sanctisque Tutelaribus loci Patronis præcipuè Sanctis, HONORATO & CANDIDÆ, quos fausto Poloniæ omine, ad decursum tertij. & ad auspicatum initium quarti Sæculi, sub gratiosissimis, & felicissimis auspicijs, Serenissimi, & Inuictissimi IOANNIS Tertij Poloniæ Regis &c. Domini Clementissimi, Mons Clarus Patriæ Tutelares ad publicam venerationem, Authoritate Pastorali Illustrissimi ac Reuerendissimi D. IOANNIS MAŁACHOWSKI, Episcopi Cracouien: Ducis Seueriæ, exponit; ex decreto, debitoq; gratæ mentis, intererat & singularium hujus loci Fundatorum, Patronorum, Protectorum, Fautorum, ac Benefactorum meminisse, quibus in Arcu Triumphali, intra Fortalitij septa, venerationis ergo, erecto, hic Honor habitus est.

ARCVS TRIVMPHALIS.

Tota moles Ex virentibus Palmis in latum circiter ad triginta quatuor cubitos explicata, vtramq; Portam, tum quæ ad majorem Basilicam, tum quæ

ad Sacelli Mariani, & Monasterij minorem ducit aream, claudens, ad quadraginta circiter vlnas in altum exporrecta, & in quinque contignationes diuisa est.

PRIMA CONTIGNATIO.

Sub tota mole in spatio, quod inter vtramq; portam interjacet medium, statua grandior inter Palmas Diui Patriarchæ S. Pauli Primi Eremitæ, ceruicibus totam superincubantem molem sustentans, ad cujus latera Palma, Leones, & Panis Portitor Coruus. Aureis proloquitur verbis: *Dulce onus meum.* Sub primæ contignationis Coronidæ, latè in vtramq; partem explicata, grandioribus aureis Literis hæc inarata: REGI SÆCVLORVM, DEO TER OPT: MAX: B. MARIÆ V. D. PATRONIS, FVNDATORIBVS, PROMOTORIBVS, PROTECTORIBVS, BENEFACTORIBVS, DVM TERTIVM SÆCVLVM CELEBRARET, MONS CLARVS EREXIT.

A Medio in dextrum latus Coronæ, seu ambitûs, hæc Familiarum Symbola, ex Stemmatibus ad præstitos Monti Claro fauores alludendo, suas habent Inscriptiones & Subscriptiones:

Illustrissimæ Domui Opaliniæ.

ACtuarium in placido nauigans mari adspirantibus Fauonijs ad portum tendit, vbi cum vario Musices apparatu aduentantes præstolantur, Virgo dirigit gubernaculum. &c. Lemma *Hac moderante Securi.* Subscriptio: *Varijs deuotionis exemplis, muneribus, & fauoribus Montem Clarum ornauit.* Prætiosiora aureis velleribus vehit Virtutum & meritorum ornamenta, nec eget loquaci Argo, quæ naturali propensione in Illustrissimis Successoribus, ad Fortunatas æternæ beatitatis insulas prouehitur, Auspice, & Gubernatrice MARIA quam sibi liberalibus demerentur votis affectibus, præcipuè modernis temporibus Illustrissimus D. Ioannes de Bnin Opalenski Dapifer Regni, & Illustrissimus D. Stanislaus de Bnin Opalenski Neocorcinensis Capitaneus.

Illustrissimæ Domui Varsiciæ.

DVo Genij Armorum Abdank vnus tenet Stemma ad formam duplicis V. & proloquitur Viuat Viuat! alter idem vniuersum tenens Literam M. repræsentat additque voce: Maria quasi Mariæ victurum perenniter in hoc loco, ex voto suæ Illustrissimæ Familiæ augurarentur. Lemma: *Cantet hoc Stemma triumphos!* Subscriptio: *Varijs Fundationibus, & fauoribus Montem Clarum auxit.*

Illustrissimæ Domui Donhoffiæ.

ARx, seu Fortalitium. Propugnatores armati sub vexillo in quo caput Apri Gentilis eminet (Romanorum veterum more) varijs accincti armis &c. Lemma *Has Arces sub his defendimus Armis!* Subscriptio. *Fundationibus, Muneribus, Affectibus, religionis exemplis Montem Clarum colit:* Quotquot sub hoc censentur Stemmate, singulares in hoc loco Honoris Mariani sunt Promotores, Propugnatores, & Patroni, ideo Maria in hoc loco sub figura Fortalitij ponitur, cujus Basilicam, tum augustiori, & prorsus Regio ex marmore sacello, &

lo, & apparatu vario, tum Ecclesiastico thesaurum, tum bellico, Armamentarium, Marianam auxerunt.

Illustrissimæ Domui Paciæ.

HOrtus Liliorum, inter quæ floret æquali candore triplex Illustrissimæ Domûs Paciorum Lilium. Lemma: *Innocuo candore perennat!* Subscriptio: *Candidum erga Montem Clarum affectum in muneribus ad Aram Marianam ostendit.*

Illustrissimæ Domui Sieniauiæ.

AD Corpus Emblematis Illustrissima assumuntur insignia Luna & Stella intra Lunæ cornua, in cujus medio Imago Claromontana. &c. Lemma. *Lucet iam plenior orbi!* Subscriptio: *Pretioso ad rem Sacram apparatu, monilibus, eximiæ deuotionis argumentis, & varijs fauoribus Montem Clarum ornat.* Et in cæca hujus Sæculi nocte Filios Lucis quidni dicam Illustrissimos Sieniauiæ Domûs Heredes? qui ad augem natiui virtutum luminis, & Matrem lucis MARIAM singulari religione sibi ex hoc loco affulgentem habere meruerunt.

Illustrissimæ Domui Męczyniæ.

GEntilitiam Rosam, Rosas inter in editiori Monte plantatas, Domus Męczyniæ Genius plantat. &c. Lemma: *Et hic meum floresce Rosetum!* Subscriptio: *Amplioribus Montem Clarum dignati fauoribus, æternùm florentem hic meruerunt memoriam.* Rosa Ierichuntina Maria cognatam sibi amoribus, in hoc loco fouet Domus Męczyniæ Rosam, quæ perennè hic deuotionis, spirat fragrantiam.

Illustrissimæ Domui Lanckoroniæ.

VIrgo in Palatio quod muro circumdatur. Medius ignem spirans è muro prominet Leo, qui ignem spirans, monstrorum impugnantium ausus deterret. &c. Lemma. *Sic Zelus defensat Honorem!* Subscriptio: *Varijs segmentis pretiosis, amoribus, & fauoribus Montem Clarum cumulat.* Echo singulare Mons Clarus habet ex Domo Lanckoronia, quòd Illustrissimus D. Nicolaus Lanckoronski, à Sigismundo Augusto Constantinopolim Legatus, fidam de Sacra Imagine Claromontana ibidem in membrana scripsit Historiam, (ibi enim quingentis annis hæc Imago fuit) eandemq; Sigismundo Augusto obtulit. Nunc inter Domus Marianæ gazam asseruatur.

Illustrissimæ Domui Lipsciæ.

DIana per montosa loca passu celeri manu ducit Genium Lipscianæ Domûs arcu & pharetra succinctum. In pectore solea cum cruce, in manu dextra Sagittæ ad configendas bestias. Leo Gentilis Comes sequitur &c. Lemma: *Hac Duce monstra domabo!* subscriptio: *Eximiis fauoribus, pretiosis muneribus, & amoribus Montem Clarum illustrat.* Ità in omnis ætatis cursu dedita huic loco, Mariæque illustrando Honori deuota est Illustrissima Lipsciorum Domus, vt ab ipsa Maria manu duce sua progredi videatur, Gentilibus Armis informia ignauiæ, aut quæcunq; ad promerendum laudis, gloriæque præmium obesse possunt, desidiæ monstra; prædas sæpe, manubiasq; fortunæ hic suæ Patronæ deponens.

Illustrissimæ Domui Dzialynsciæ.

AD Symboli corpus Annulus Gentilitius assumitur. Virgo in throno sedens, à Genio Domûs Dźiałynsciæ medium Annulum cum inserta pretiosa

tiosa gemma accipit; Genius medium cum Sagitta retinet: &c. Lemma, *Sic desponsat amores!* subscriptio: *Singulari deuotione, Montem Clarum veneratur.* Antecedentium Aborigenum Imago, subsequentium Heredum exemplar deuotionis erga Marianam Montis Clari Domum, est Illustrissimus Sigismundus Działynski Palatinus Brestensis, qui per Filios suos Matthiam, & Paulum Anno 1675, grandiorem argenteam laminam ad claudendam Imaginem (prout & hodie clauditur) misit, cui affectus suos, Domûsq; suæ Inclytissimæ; in supplici commendatione inarauit. Placet hîc illos subijcere:

Dźiedźiczko Częstochowskiey Mátko Boża Góry
Iákoś zámożna Mátko ták w Syny, iák w Góry.
Wszytek moy Domek ćiebie swą Dźiedźiczką głośi,
Niech go Syn Twoy, y z soba w swey opiece nośi.

Illustrissimæ Domui Pieniażcyæ.

BEllonæ in grandiori cubo Statua varij Genij collimant, at non pertingunt ad metam; aliorum Sagittæ in medio cursu terræ allisæ, aut in obliquum cedentes, sola in meta Pieniażcij Genii Sagitta &c. Lemma: *Cursum mihi nulla morantur otia!* Subscriptio: *Varijs negotiorum huius loci Honorisq; Mariani promotionibus, & muneribus Montem Clarum decorat.* Iure Illustrissimæ Domui attribuitur, quòd millies aut in Sago, aut in toga negotijs præpediri possint, quin statis temporibus vota sua, tanquam in termino metaq; suæ deuotionis, hîc deponant. Excellit aliorum cursus Sagitta Gentilis Perillustris ac M. D. Ioannis de Odrowąż Pieniażek Oświećimensis Capitanei, qui perennem hîc Sagittæ suæ tesseram fixit, attributa ad decantandum quotidie Immaculatæ Conceptionis B. M. V. Officium fundatione.

Illustrissimæ Domui Myszkowsciæ.

INsigne Gentilitium, Leonibus, Aquilis, Cruce, & Solea constans, appensum Palmæ, aduerso illustratum sole refulgens, Lemma habet: *Gaudet hoc lumine Stemma!* Subscriptio: *Montem Clarum sincero prosecuta affectu, & Honorem Marianum, Ordinisq; momenta gratiosis promouet conatibus.* Ad illustre Symboli corpus sufficientissimum sibi ipsi est in Myszkowscia Domo Illustrissima Principum Mantuæ Stemma, in quo Leones & Aquilæ, connata indole solem ambiunt, gratiosissimis eius influxibus Alites Regij, Regiaq; Animalia nobilitata; hinc & Crucis, soleæq; tersissimæ splendor. Longè tamen Illustriora efficiuntur, cùm ad illam gratijs in hoc Monte fulgentem, reflectunt oculos, quæ est *Electa vt Sol MARIA.*

Illustrissimæ Domui Polanowsciæ.

IMpetus est ex Gentili Solea. Polanowsciæ Domûs Genius ad Cœlum eluctatus in alato sonipede Soleas plures reliquit in terra, quæ Virgo in Sinum colligit. &c. Lemma: *Has tempus non deteret vnquam!* Subscriptio: *Liberalitatis, & affectûs gratiosissimi hic reliquit vestigia.* In tanto pretio Virgini Claromontanæ sunt vestigia beneficentiæ Illustrissimæ Polanowsciæ Domûs, vt illa, dum magnis ad altiora merita contendũt passibus, conseruet, nec obliuionis clade, injuriaq; temporis conteri, deleriq; patitur. Prostant affectus erga Mariam, Montemq; Clarum tesseræ, præcipuè Illustrissimi Domini Alexandri Polanowski, in grandioribus argenteis tabulis, tum in Claua Officij tessera, quam ad pedes Mariæ in hoc Monte fixit.

Illustrissi-

Illustrissimæ Domui Radzieiowsciæ.

SVb Stella Polari Vrsa Major, in qua Virgo coronata (ex Armis Gentilibus Rawicz) ductu lineæ, quæ à Stella polari ad Vrsæ collum patet lucida, cursum circa Stellam in cœlo circumagit &c. Lemma: *Hac placet auspice cursus!* Subscriptio: *Tum Ecclesiastico decoro solenni apparatu, tum alijs fauoribus, & amoribus, Montem Clarum decorat.* Pudet in humili serpere valle generosum animum; non in Montes, at in cœlos euolat indoles cognata cœlo, quæ vel tardis animantibus addit stimulos, à Cœlo regitur Domûs Radzieiowscia, vt in recto Honesti Virtutisq; tramite perseueret. Seu mauis dicere Stellam Polarem Mariam esse ad cujus fauores alligata huc ducitur, & in cœlestium orbium æternas Domos promouetur.

Illustrissimæ Domui Gębicciæ.

VIrgo Coronata cum Sceptro. Fascia Gentilis hujus Domus in brachijs explicata, & in pectore ornamento est. &c. Lemma: *Vincit & ornat!* Subscriptio: *Ecclesiam decorat, & affectu singulari prosequitur.* Regijs cognata Diadematibus, & Poloniæ Reginam ornat. In veneratione est & apud superos. Inter Mariana decora non postremum obtinet locum. Apprime seruit illi, quod Ierem. 2. dicitur: *Nunquid obliuiscetur Virgo ornamenti sui, aut Sponsa Fasciæ pectoralis suæ?* Ornat & hodie Aras Mariæ; præcipuè per Illustrissimum ac Reuerendissimum D. Petrum Gębicki Episcopum Cracouiensem Ducem Seueriæ, qui pretiosissimum inter Basilicæ Claromontanæ decora Apparatum, sub eadem Gentili tessera Monti Claro reliquit.

Illustrissimæ Domui Oborsciæ.

VArij Genij (Oborscianæ Familiæ) manipulos Liliorum colligunt, quos ante Statuam Dianæ (Mariam signat) offerunt. Lemma: *Manibus dent Lilia plenis.* Subscriptio: *Deuotionis exemplis, & affectibus Montem Clarum colit.*

A medio superficiei, seu Coronæ, Primæ Contignationis, in Sinistrum explicata latus, hæc Familiarum Symbola ponuntur.

Illustrissimæ Domui Łubiensciæ.

TEmplum Dianæ, in quo immolantur Victimæ. Genius Illustrissimæ Łubiensciæ Domûs, transfixum Gentilis Vri caput in Altare ponit &c. Lemma: *Cadat has mea Victima ad Aras!* Subscriptio: *Deuotissima huic loco amplioribus Montem Clarum ornat muneribus, & colit affectibus.* Hoc est Cœlestis Dianæ MARIÆ Templum in quo Łubienscia Domus ædificando sumptibus non pepercit, in Illustrissimo ac Reuerendissimo Matthia Łubienski Archiepisc: Gneznensi Legato Nato, Primoq; Principe.

Illustrissimæ Tarłouiæ Domui.

SOlium. In puluino Corona & Sceptrum. Circumcirca Fasces, seu Secures, Senatoriæ, Censoriæque dignitatis apud Romanos insignia &c. Lemma: *Regnum soliumq; tuentur.* Subscriptio: *Pronam erga hunc locum religionem, muneribus, amoribusq; contestatur.* Amplissimum est Mariæ Regnum, quod in hoc solio fundatum, longe lateq; patens respicit, & beneficijs cumulat Maria. Tarłouiæ Domus Heredes Illustrissimi propinquioribus stipant, ornant, atque tuentur affectibus, & obsequijs.

Illustrissimæ Domui Sapiehanæ.

TEmplum Bellonæ in quo varia bellica instrumēta Clipei, galeæ, lanceæ, &c. dependent. Genius Sapiehanæ Domus Pharetram Gentilibus Sagittis, cum

cum Crucibus, plenam, ad Aræ propinquius latus appendit. &c. Lemma: *Victrices hic figo Sagittas!* Subscriptio. *Pretiosis monilibus, aureis muneribus, & solenniori Apparatu; ac pretiosissimis affectibus Montem Clarum exornat.* Singulæ in muneribus ex Sapiehana Domo lucentes tesseræ si colligantur non vnam implerent pharetram. Hic tamen vnam ad latus Bellonæ Poloniæ Mariæ figit Genius, in compendium colligens fauores, & Amores Sapiehanos, quibus tanquam ad votorum suorum metam collimant. In Compendio sunt, ex gratia Illustrissimi Leonis Casimiri Sapieha, qui Aurea Pixide thesaurum Aræ Marianæ, auxit Bellonam suam hoc munere dignatus. Propitiam expertus est. Dum enim Illustrissima illius Conjux hic suam deuotionem ad Aram Mariæ in complures hebdomadas prorogat, & expeditionem Illustrissimi Conjugis contra hostes huic Bellonæ commendat, Nuntium accepit illum præclara de Tartaris potitum victoria, quæ & lytrum redemptæ illius de periculis vitæ, segmentum pretiosis compactum lapidibus, ad Aram deposuit. Par est in deuotione, ac Liberalitate Illustrissimorum Heredum erga Montem Clarum animi propensio.

Illustrissimæ Domui Iabłonowsciæ.

AD veritatis Imaginem, veterum Superstitio assumitur, qui toties lunam à dracone deuorari putabant, quoties deliquium pati, aut nubibus obrui videbatur; ideoq; cum sonoris instrumentis procurrebant, quæ pulsando draconem deterrere conabantur, qui lunæ deficienti imminebat. Hoc ad Corpus Emblematis. Infra tres Genij Illustrissimæ Domûs Iabłonowsciæ diuisa insignia tenentes pulsant, quibus deterrere draconem conantur: vnus Falcem, alter mediam soleam, tertius semimediam Crucem &c. &c. Lemma: *Vindicat occasum sonitu!* Subscriptio: *Liberali animo, ac religioso, Mariam in hoc Monte colit, eiusq; Honorem propugnat.* Si in vitæ præsentis nubilo Virtus Luna dici potest, quam pone comes inuidia, draconi omnia veneno inficienti assimilata, consequitur, ac abligurire molitur; Nonne Arma Illustrissimæ Iabłonowsciæ Domûs sonantia, & lunam à deliquio præseruantia, famam denotant? quæ vbiq; bonum Nomen ferens inuidiam deterret, triumphatq; ? Sed fortè mauis Luna in Mundi nocte, dum ei gratiæ D E I serenum infulgere non debet, DEI Vicariam cujus honorem impugnatum Heredes Domûs Illustrissimæ propugnant: Patet in Illustrissimo D. Stanislao in Iabłonow Iabłonowski Terrarum Russiæ Palatino Exercituum in Regno Poloniæ Duci Campestri &c. &c. qui in hoc loco varijs temporibus per exempla deuotionis, tum per officij sui tesseram Clauam ad Mariæ pedes suffixam Mariæ Honorem cumulauit.

Illustrissimæ Domui Czarneciæ.

SIcut generale est mundi periculorum Schema, mare, ita generale subsidium Stella polaris, aut, Pharus in nocte laborantibus Maria. Singulare tamen est Illustrissimæ Domui Czarneciæ; quæ suam meritis plenam Onerariam per procellas labentis Mundi promouens ad æternitatis portum Mariam in Claro Monte ceu Polarem Stellam aut Pharum habet vnde Hoc est Emblema, cui subscribo: Lemma: *Hæc mihi Dux, Portusq; fidelis!* Subscriptio: *Indefessis suis conatibus Montis Clari securitatem, decora, Honoremq; promouet, quem singularibus fouet affectibus.* Quod patebat tum ante obsidionē tum post obsidionem Claromontanam. In Illustrissimo Domino Stephano Czarnecki Palatino Russiæ, &c. tum in Perillustri, ac M. D. Petro Czarnecki Qui sub tempus obsidionis Claromontanæ, pulchris victorijs clarus extitit; tum modernis temporibus in Illustrissimo Domino Stephano Czarnecki Notario Campestri Regni. &c. &c.

Illustrissimæ Domui Grudzinsciæ.

IN Porta cui tres turres iminent armatus Heros acclinis introeuntem Reginam

ginam salutat, excipit &c. Lemma: *Hac Hospite tutus*. Subscriptio: *Aureis muneribus, monilibus, deuotionis exemplis, affectibus Montem Clarum illustrat.* Illustrissima Domus dum intra se Religionem erga tantam fortunam Patronam fouet, securior est, quàm cum suo Troia Palladio.

Illustrissimæ Domui Sczawinsciæ.

ARx muro circumducta. In muro Illustrissimæ Sczawinsciæ Domûs Gentilis excubat Leo sub vmbras noctis &c. Lemma: *Non dormit qui custodit!* Subscriptio: *Religionis exemplis, & muneribus Montem Clarum honorat.* Sapientiæ Domûs Maria, vallatur vigili custodia Leonis Domûs Sczawinsciæ, quæ id vnum inter suas principales curas habet, hîc Mariæ Honorem supplici deuotione exhibere, deuotione promouere.

Illustrissimæ Domui Tarnowsciæ.

EX Armis Leliwa, quæ constat Luna, & Stella inter Lunæ cornua, assumitur ad Symbolum occasio. Diuiditur Stemma, Reginæ Luna scabellum supponit, Stella diffusis circa caput Radijs Reginam ornat &c. Lemma: *Seruit vtrumq; decori!* Subscriptio: *Montis Clari Honorem religionis exemplis; Decorem muneribus auxit.* Si Regina est Cœlorum, ac terrarum Maria, quæ meruit cœlestem lunam immaculatis premere calcaneis, & Stellis coronari; quid non exornet Illustrissimam Domum Tarnowsciam, quòd in hoc loco substernat Gentilem Lunam pedibus, & Stellam tantæ Reginæ commodet in Coronam?

Illustrissimæ Domui Konarsciæ.

LEenæ coronatæ blanditur Leopardus &c. Lemma: *Mansuescit amando!* Subscriptio. *Humilibus deuotionis exemplis Mariam in hoc veneratur Monte.* Hostilitas quæ intercedit inter Leonem, & Leopardum (insigne est Illustrissimæ Konarsciæ Domûs) hic componitur. Mariam Leenam dici SS. Patribus placuit, tum quod Leonem de tribu Iuda genuerit; tum quod illi vnus tantummodo contingat partus, huic blanditur Leopardus, & non tantum Coronam submittit, verùm & suâ ornat Coronâ, Religionis exemplis Mariæ Aram coronando. Submisisse ad hujus Leenæ pedes Coronam visus, Konarscius Episcopus Cracouiensis, qui sub tempus Sigismundi Anno 1514. hic ad Aram V. M. supplicans sub hoc ipsum Sacrificij ad hanc Aram tempus victoriam impetrauit, quam hinc assumptis auspicijs obtentam tùm appensis vexillis in Corona Basilicæ Marianæ, tum nuntio dato ad Sanctissimum D. Leonem X. Pontificem Max. constabat.

Illustrissimæ Domui Zaluscia.

DVo Genij vnus ater, alter Candidus Domûs Załusciæ sagittis certant: Ipsum fulgur à Cruce Sagittæ Załusciæ oculos atri genij reuerberat, hinc in cassum jacta missilia franguntur allisa terræ &c. &c. Arbitra de cœlo Themis Coronam proponit in præmium &c. Lemma: *His Victor ab Armis!* Subscriptio: *Montis Clari, Ordinis, ac Mariæ Honorem & Decorem auget, & promouet:* A Cruce clarior Sagitta, & agilior, retundit aciem tenebrionum, certatur pro prœmio, quod Sacra Themis Maria in hoc Monte destinat. Norunt, expertique sunt illi, qui huic Sagittæ lucem affusam per gratiarum ex hoc monte defluxum experti sunt; & hinc desumptis auspicijs opera tenebrarum triumphant.

Illustrissimæ Domui Lesczyniæ.

BIsons, & Leo (vterq; Stemma componit) in amœniore spatiantur horto &c. Extra portam Corona & gladius (decora Leonis) posita. &c. Lemma: *Hic pascit vtrumq;* Subscriptio: *Pretiosum erga Montem Clarum, testatur af-*

fectum in muneribus; *gratum*, *in Honoris Mariani promotionibus*. Paradisus Mariam designat, ad quam congenita indole feruntur Illustrissimi Lesczyniæ Domûs Heredes, & quòd humilitèr Mariana venerentur tecta, potestatis insignia præ foribus deponens Leo, scilicet gladium, auream q; Coronam, probat. Gratiarum hinc acceptarum relinquunt tesseras. Patebat his annis in Illustrissimo Domino Venceslao Comite in Leszno Lesczynski Palatino Volhiniæ, qui muneribus gratitudinem pro beneficijs, hinc acceptis testatus est.

Illustrissimæ Domui Kalinowsciæ.

GEnius Arcu, & Pharetra succinctus, alis subuectus Sagittam auream cœlo infixit, in vna extremitate diuisa (prout Stemma demonstrat) binas Stellas habentem &c. Lemma: *Nostris hæc meta Sagittis*! Subscriptio: *Tum frequentioribus religionis exemplis, tum ornamentis pretiosioribus Marianam Basilicam auxit.* Dignûs aureæ Sagittæ Scopus, cui cùm terra dare parem non potest, quærere metam in cœlo cogit. *Cœlum animatum* (ex Sensu SS. PP.) est Maria digna Illustrissimæ Domûs affectuum meta. Digna Sagitta, cui locum in cœlis cedat jaculum; quòd aurea, quòd à cœlo non exerrans, superis dilecta; Stellarum consortio, se aut in cœlis natam, aut ab indole sua cœlis debitam testatur.

Illustrissimæ Domui Przerebsciæ.

CAtaphractus Heros vno genu procumbens ante Aram in qua armata Pallas, eleuato sinistrâ gladio duos digitos imponit, quasi Sacramentum fidelitatis profitens, &c. Impetus ex Armis dictis Nowina. &c. Lemma: *Tuum tutabor Honorem*! Subscriptio: *Eximijs Montem Clarum fauoribus, thesaurum Marianum pretiosis muneribus, Armamentarium bellico apparatu cumulauit.* Quasi iuratum huic loco, Mariæq; affectum Illustrissimi Heredes seruant, & muneribus testantur, tum quæ ad ornamentum, tum quæ ad munimentum pertinent. Præcipuè Illustrissimus D. Sigismundus Przerębski Palatinus Siradiensis, qui Annulum, cui parem in pretio Mons Clarus non habuit in fauores sibi Mariam desponsando, ad eius Aram donauit.

Illustrissimæ Domui Porębsciæ.

EX Armis Gentilibus Kornicz dictis occasio Symboli: Plenilunium. In Ara supplices LVNÆ (quam Reginam Cœli putabant) panes offerunt &c. ad illud alludendo Ieremiæ 7. *Filij colligunt ligna, & Patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ cœli &c.* Lemma: *Et hoc munus placatq; placetq;*! Subscriptio: *Pretiosissimis argenteis muneribus Marianam exornat Aulam, & deuotis affectibus.* Munera quæcunq; figurat ex hac Illustrissima Domo Panis ex stemmate desumptus, ad quorum oblationem omnis ætas, & sexus adlaborat, vt dignè Mariam Reginam cœli venerentur.

Sub Primæ Contignationis Corona, inter Palmas hæc Illustrium sex Ciuitatum Symbola.

Almæ Coronatrici Regum, Vrbi Cracouiæ, Poloniæ Metropoli.

VIrgo Leonibus prouehitur in Vrbem. In Porta acclinis Reginam salutat Aquila &c. Lemma; *Lætior Hospite tanta*! Subscriptio. *Votis, Visitationibus muneribus Montem Clarum veneratur.* Sæpius illustrata hinc acceptis gratijs, nunc Ectypum huius Imaginis in Æde B. M. V. in Circulo colit, sub turri. Antehac, post funestam Clari Montis direptionem, Imaginem ex manibus Serenissimi Casimiri Regis Poloniæ suscepit, restaurauit, in Prætorio custodiuit exornauit, honorificè ad Montem Clarum cum triumpho reduxit.

Almæ

Almæ Vrbi Lithuaniæ Metropoli Vilnæ.

CAtaphractus Heros (Stemma Vrbis) ſub Arce decertat. Victor Coronam à Virgine ex Arce proſpectante accipit, cuius gratiâ pugnatum eſt &c. Lemma: *Pretium non vile laboris*: Subſcriptio: *Viſitationibus, donis, & amoribus Montem Clarum colit.* Quid eſt aliud gratijs ornari, quàm coronari? Certant cum aduerſa fortuna, & calamitatibus varijs itinerum difficultatibus auſpice Virgine vincunt, accedunt ad hanc Aram ſolatijs ornantur & coronantur.

Almæ Vrbi Leopoli Ruſſiæ Metropoli.

VIrgo in Arce muro circumducta. Leo coronatus (Vrbis inſigne) portam cuſtodit. Lemma: *Hoc dignus jure Coronâ!* Subſcriptio: *Quam ante in Ruſſia Annis quingentis coluit Imaginem, etiam nunc eam in Monte hoc veneratur viſitationibus, & muneribus.* Digna MARIÆ fauore cujus Honorem ſecurum, intaminatum, intra ſe fouet, & promouet.

Ciuitati Varſauiæ.

SYren (Ciuitatis inſigne) in tranquillo Mari ſub promontorio cantat, ad cujus vocem Actuarium majus placidè nauigat in quo Virgo tenet gubernacula. &c. Lemma: *Ad vocem ſequitur.* Subſcriptio: *Multis antehac Montem Clarum dignata fauoribus, ex eodem, & Odigitriam in cultu publico Imaginem, & Ordinem habet.* Spectabilis Magiſtratûs gratioſa Ordinis ad Fundationem vocatio, & Imaginis in maximo cultu obſeruatio, affectus erga Montem Clarum probat.

Ciuitati Gneznæ.

QVia à Nido nomen habet, conceptus hinc elicitur ad corpus Symboli. A longe ſpectatur nidus Aquilæ (Ciuitatis eſt Inſigne) quæ volat ad Virginem prædam ex ejus acceptura manibus, duo pulli ſequuntur. &c. Lemma: *Prædam hinc accipit Ales!* Subſcriptio; *Publicis Montem Clarum Votis & Viſitationibus veneratur.*

Ciuitati Poſnaniæ.

QVia duas in Porta Claues pro Inſignibus habet, Genius Ciuitatis Claues offert Virgini ſub tentorijs in editiori loco ſedenti. &c. Lemma: *Præſidium Tu, & Præſes eris!* Subſcriptio: *Frequentioribus annuis viſitationibus, affectibus, & publicis obligationibus Montem Clarum colit.* Vota ſæpius depoſuit in publicis ſupplicationibus triumphata peſtilentia. Maximè ſolenne eſt Votum publicum, quod incipit: *Diuum atq; Hominum Spectatrix, Hera Tutelaris &c.* vbi eximios ſuos amores erga Mariam, locumq; illius dedicatum Honori depromit.

SECVNDA CONTIGNATIO.

Hæc ad Nouemdecim cubitos in latum explicata Quinq; Sereniſsimorum Poloniæ Regum, ſpecialium Montis Clari Fautorum Protectorum, ac Benefactorum continet Statuas.

Supra Statuam Sereniſſimi & Inuictiſſimi Poloniæ Regis IOANNIS III. *collocatam in Medio.*

MOns Clarus circa quem duodecim lectiſſimi Iuuenes, cum Scutis ſeu Clypeis ſaltantes, canentesq;, Anciliorum ſolennitatem celebrant. Deſuper è cœlo Manus in catena aurea Ancille, ſeu Scutum demittit, ad Clari Montis protectionem. Lemma: *His eſt tutamen in Armis!* Sub Statua Inſcriptio: *Sereniſsimus, & Inuictiſsimus Poloniæ Rex Ioannes* III. *Montem Clarum ſingulari fouens in Patrocinio & inſignibus tam pretio, quàm artificio muneribus Aulam Marianam illuſtrauit, & liberali cenſu, ad flammas perpetuo in oliuarum oleo fouendas*

ante thaumaturgam Imaginem, dotauit, alijs compluribus fauoribus cum Serenissima Regina Montem Clarum dignatus. Quidni continuam Anciliorum solennitatem celebrat Mons Virginis, quæ è gratiosissimis Serenissimæ Majestatis fauoribus jugem protectionem habet?

Supra Statuam Serenissimi Poloniæ Regis SIGISMVNDI AVGVSTI *à dextro latere.*

MOns Clarus. Patet Conclaue in quo Imago. Cataphractus Heros cum Scuto & gladio fertur, post quam varia vexilla, trophæaq; ferunt &c. Lemma: *Hæ Tibi militat Armis!* Subscriptio: *Serenissimus Poloniæ Rex Sigismundus Augustus tam artificio, quam pretio, præclaris manuum suarum argenteis operibus Marianum thesaurum auxit, alijsq; amplissimis fauoribus Montem Clarum cumulauit, post immanem Moschorum cædem victricia arma & trophæa intulit.* Quasi si Mariæ soli pugnasset, omnia hostium vexilla in ejus Basilicæ Coronæ appendit.

Supra Statuam Serenissimi Poloniæ Regis VLADISLAI IV. *à sinistro latere.*

AQuila Coronata Ottomanicam Lunam rostro, in vno pede Laureas in altero Palmas tenet supra Montem Clarum volitans Lunam & serta palmasq; demittit supra Marianam Aulam &c. Lemma: *Munera Patronæ victricia defert!* Subscriptio. Sub Statua; *Serenissimus & Felicissimus Poloniæ Rex Vladislaus IV. cum sua Serenissima Conforte Cæcilia Renata eximijs deuotionis monumentis Montem Clarum exornauit. Huc post Chotimense bellum victricia Arma & trophæa intulit, Aulam Marianam vario decore pretioso illustrauit.* Ad Votum omnia bellorum cum barbaris, momenta Serenissimo Vladislao cessere, qui hîc auspicijs sumptis Victoriæ bellicas apparabat expeditiones, Exercituum suorum vexilla, suiq; lateris gladium benedici curauit.

Supra Statuam Serenissimi Poloniæ Regis IOANNIS CASIMIRI *à dextro latere.*

SVpra Montem Clarum Aquila expansis alis, libratur, è gentili manipulo, quem gerit in pectore, spicas & grana è rostro laureas supra Montem Clarum mittit &c. Lemma: *Ornat nutritq; tegitq;!* Sub Statua inscriptio: *Serenissimus Poloniæ Rex Ioannes Casimirus, cum Serenissima Conforte Ludouica Maria Gonzaga peculiari affectu Montem Clarum fouebat. Cum vnanimi Reipublicæ consensu ad Ornamentum, & Munimentum Bona Klobucensia gratiosè attribuit. De Kosacis, & Tartaris Victor, huc vexilla intulit hostibus erepta, hic triumphum egit, pluribus Montem Clarum, & amplioribus fauoribus dignatus.*

Supra Statuam Serenissimi Poloniæ Regis MICHAELIS I. *à sinistro latere.*

AQuila versùs Montem Clarum volat, in pectore gentilitia insignia Luna Stella Crux, quæ radios lucidissimos in Montem Clarum jaculantur &c. Lemma: *Affulgent Monti sociata serenum!* Sub Statua subscriptio: *Serenissimus Poloniæ Rex Michael I. cum Serenissima Poloniæ Regina Eleonora Maria Iosepha, frequentioribus, & illustrioribus deuotionis exemplis Monti Claro infulsit. Hic primus, præsente Imperatrice olim Ferdinandi III. Augustissima Coniuge Eleonora, & Archiduce Austriæ, Sacri Matrimonij solennitatem celebrauit, vt innocentes suos affectus Mariæ probaret, ad eius pedes Aureum adamantibus distinctum, alatum, cum inserta supplici Syngrapha Cor appendit, & alijs præclaris gratiæ monumentis Montem Clarum exornauit.*

Paulò infra, inter statuas in Palmis, Illustrissimarum Familiarum Symbola cum suis Inscriptionibus, & Subscriptionibus

Illustrissi-

Illustrissimæ Domui Koniecpolsciæ.

AVgustior in Monte arduo Porta, Domûs Koniecpolsciæ Genij Equis vecti sparsa, & frequenter distincta soleis cum Crucibus premunt signata, & relinquunt vestigia; per hanc viam ad sublimè Palatium nubibus inuectum festinantes &c. Lemma: *Per hæc vestigia tendunt!* Subscriptio: *Montem Clarum fauoribus, Marianam Domum muneribus aureis, gemmeis, argenteis; Ordinem pluribus beneficijs dignatur.* Ex communi SS. PP. & Ecclesiæ sensu Maria *Porta Paradisi* & *Ianua Cœli* dicitur. Hic sibi Portam Paradisi, & Ianuam cœli patefecerunt Illustrissimi Domûs Koniecpolsciæ Heredes, qui singulari gratia, & patrocinio se non tantum Clari Montis Fautores, sed & *Ordinis Proto-Eremitici Protectores* in testamentis subscripsere.

Illustrissimæ Domui Lubomirsciæ.

FLumini præterlabenti, varia dignitatum insignia deuehenti, & aureas arenas, pretiososque lapides eijcienti, Sol affulget, ac in eodem suam exprimit formam. &c. Lemma: *Cum fluidis non labitur vndis!* Subscriptio: *Argenteis, aureis, gemmeis, muneribus segmentis, vestibus; intimis amoribus Sanctitatis exemplis Montem Clarum, Aulam Marianam, ordinemq; cumulat.* Sol in cœlo, Virtus in viro idem est. Continuo cursu per ætatum lapsus Illustrissimi ad meliorem Vitam discedunt Heredes, fulget tamen, quemadmodum in antecedentibus, ita & in sequentibus Pulchritudo Virtutis. Malim tamen illustrem Amoris Mariani flammam, ab ea procedentem quæ est *Electa vt Sol*, & in Lubomirscij fluminis vnda viuentem dicere, quam non obruit vnda sed fouet, non extinguit sed accendit, nutritque deuotionis eximiæ argumentis.

Illustrissimæ Domui Zamosciæ.

PAllas sinistra manu duas cum Parma Hastas, in dextra vnam quadraconem confodit. Draco occisus &c. Lemma: *Stygios sic vindicat ausus!* Subscriptio: *Marianũ Honorẽ, cultumq; religionis exemplis, pretiosis munerib⁹ & amoribus hic ampliauit.* Cum Marianũ honorem hic promouet quid agit aliud, quam draconem mulieris fortissimæ inimicum exanimat? Illustrissimæ Domûs Zamosciæ Arma, non tantùm Bella Patriæ, at Bella Mariæ gerere gnara, Hastis Achillis feliciora, quam quòd illis dederunt fabulæ, hoc illis veritas fecit proprium.

Illustrissimæ Domui Potociæ.

PEramplum Atrium varia exornat Stemmata, & fumosæ Imagines &c. frequentiora Domûs Potociæ insignia Cruces tergeminæ, singulari lumine coruscantes, illustrantesq; Atrium visuntur &c. Lemma: *Splendores auxere Cruces!* Subscriptio: *Marianam Clari Montis Aulam præclaris tum deuotionis, tum munificentiæ argumentis exornat.* Vidimus in Illustrissimo D. Stanislao Potocki Palatino Cracouien. Supremo Armorum per Regnum Poloniæ Præfecto, qui Clauam Officij insigne ad Mariæ Aram appendit; & ad imitandum deuotionis Zelum, & liberalitatis argumentum, Illustrissimos Filios, Palatinum Cracouiensem, & Palatinum Siradiensem, magnos nunc Montis Clari Fautores, ac Patronos, exemplo suo inuitauit.

Illustrissimæ Domui Ossoliniæ.

AScia grandior. Manus protendit de cœlo cotem, qua Asciam acuit. Ab vno latere sylua cæsis jacens arboribus, ab altero ædificata Domus. &c. Lemma: *Destruit vt extruat*: Subscriptio: *Venerationem Montis Clari, Cultum Marianum promouet sumptibus, donis, & pietatis monumentis.* Ascia Syluam destruit, vt palatium erigat. Ità Ossolinia Domus vt æternitatis sibi Domicilium statuat, temporalis vanitatis speciosa theatra diruit, ad quod cotem cœlum ministrat.

ministrat. Patet Ossolinianæ Liberalitatis Idea, in Ebeno Argẽteo Imaginis Odigitriæ throno, quod Illustrissimus D. Georgius Ossolinski & erexit, & cùm tantum suæ gloriæ monumentum erexisset, titulo vilissimi mancipij Mariæ se subscripsit.

Illustrissimæ Domui Vielopolsciæ.

IN Dianæ Templo varij varia offerunt. Gentilis Domûs Vielopolsciæ sonipes ad Dianæ templum fert Aram ad offerendas victimas. &c. Lemma: *Et Bello, & Religioni!* Subscriptio: *Singulari erga hunc locum religione ducitur, quam tum pietatis, tam Liberalitatis exemplis testatur.* Seruit vtriq; Vielopolscius sonipes. Aram vbiq; habet, qui pietatem, & religionem vbiq; colit. Hanc fert secum non inuenit. Vidimus, cùm in alijs olim, tum in Illustrissimo Ioanne Vielopolski Capitaneo Cracouiensi, Supremo Regni Cancellario, qui illustrioribus deuotionis exemplis, tum Liberalitate in argentea lampade, & auri puri putiq; calice religionem erga hanc Marianam Domum palam fecit.

In superiori ejusdem Secundæ Contignationis Corona, seu ambitu, Quinque Summorum Pontificum Imagines cum suis Symbolis, Subscriptionibus, & Inscriptionibus, qui specialibus Montis Clari Basilicam auxere gratijs.

Sanctissimo D. N. INNOCENTIO XI. P. M.

AQuila & Leo, vtrumque liberale animal, & in terra & terram large prædam partiens sequentibus auibus, & animalibus Lemma: *Diues in omnes!* Infra subscriptio: *Sanctissimus D. N. Innocentius XI. P. M. Amplissimis Indulgentijs Plenarijs, per Speciale Breue, per continuum dierum XI. decursum, pro moderna Anni sæcularis præsentis solennitate Montem Clarum auxit.* Ex Insignibus Sanctissimi D. N. desumitur, qui populis huc veluti ad prædam conuolantibus gratias indulsit.

Sanctissimo Domino Felicis Recordationis, ALEXANDRO VII. P. M.

PVraque Montes è longinquo (Stemma Sanctissimi) his eminet Stella dirigens radios in Montem Clarum; è contra Mons Clarus triplicis Solis diademate coronatus &c. Lemma: *Augetur Lumine Lumen.* Subscriptio Sanctissimus D. Piæ memoriæ Alexander VII. P. M. *Post Obsidionem, Clari Montis à Suecis, & hæreticis varijs factam, solutamq; miraculosè, Romæ publicam gratiarum actionem, & triumphum instituit.* Inspectante Serenissimo Poloniæ Rege Ioanne Casimiro, & Ludouica Gonzaga Maria, tum varijs Senatoribus tunc post Obsidionem in Claro Monte præsentibus, Mons Clarus tribus Solibus coronatus visus est, qui ad corpus Emblematis assumuntur. Et alijs Fauoribus Montem Clarum auxit, supplicante Serenissimo Rege Poloniæ Ioanne Casimiro.

Sanctissimo D. Felicis memoriæ VRBANO VIII. P. M.

APiarium. Ad hoc Apes tres mella deferunt. Tum intra, tum extra Apiarium varij statûs homines mel accipiunt, comedunt &c. discedunt mel ferentes &c. Lemma. *Et adhuc mea mella eleguntur!* Subscriptio: *Sanctissimus D. Felicis recordationis Vrbanus VIII. P. M. Plenarijs Indulgentijs perpetuis, pro Festiuitatibus Natiuitatis, Annuntiationis, & Purificationis B. V. M. Pœnitentiariâ Lauretana, tum SS. Reliquijs, Clarum Montem, Clariorẽ fecit.* Ex Indulgentiarum participatione cum dulcedinem delibant fideles, Gentilitiæ Apes Sanctissimi in Symbolo ponuntur.

San-

Sanctissimo D. Piæ memoriæ CLEMENTI IX. P. M.

IN Conclaui Imago Claromontana apparet. Ad extra cum in signibus præsentes Cardinales, ad Pontificatum inuitant. Obuersus benedicit è longinquo Montem Clarum, &c. Lemma: *Hac auspice regnet!* Subscriptio. *Sanctissimus D. Felicis memoriæ Clemens IX. Indulgentijs Stationum Vrbis Romæ, tum alijs fauoribus dignatus Montem Clarum exornauit.* Post decessũ Sanctissimi D. Piæ recordationis Clementis VIII. dum ad Electionem pro Cardinalibus pararentur Conclauia, ante ingressum Cardinalium à varijs visitabantur, Cumq; Præses, in Conclaui quodam Odigitriam Imaginem, Romam Alexandro VII. à Nostris Patribus ex Polonia delatam collocari videret, dixit: *Hinc Pontifex egredietur, vbi hæc Imago locatur.* Non fefellit augurium, nam paulo post ex eodem Conclaui ad Pontificatum euocatus, & Clemens IX. Pontifex salutatus est.

Sanctissimo D. Felicis recordationis CLEMENTI X. P. M.

MElchisedech Rex Salem sub tentorij offert incruentum DEO Sacrificium. Extra tentorium Coronæ Regales, & Sacerdotales infulæ &c. Lemma: *Hinc Rex erit, atq; Sacerdos!* Subscriptio: *Sanctissimus D. Felicis memoriæ Clemens X. Olim Hospes in Polonia, primum Missæ Sacrificium ad Aram thaumaturgæ Imaginis in Claro Monte celebrans, eximia religionis reliquit exempla, in Summo Pontificatu, varijs fauorib⁹ Montem Clarum illustrauit.* Quod hîc plurimi sui statûs primitias, ex votorum solutione sortiantur, in plurimis vidimus, qui hîc ex voto prima DEO offerentes incruenti Sacrificij libamina, compotes votorum effecti sunt. In Sanctissimo D. Felicis memoriæ, Clemente X. hoc vidimus, quod cùm post habitis tot per Poloniam Illustribus Basilicis, & locis primum offert DEO Sacrificium, hîc destinat⁹ Sacerdos Magnus, ad Triplices Coronas, tum Sæcularis, tum Ecclesiasticæ potestatis est euectus.

In eadem superficie, seu Corona inter Summorum Pontificum Imagines, ponuntur media Dignitati Ecclesiasticæ symbola.

Illustrissimo, ac Reuerendissimo D. Ioanni Małachowski, Episcopo Cracouiensi, Duci Seueriæ.

GEntilis Fascia, quæ Odigitriam Imaginem complectitur. Lemma: *Firmat, & ornat!* Subscriptio: *Singulari Odigitriam veneratione, & Montem Clarum, in quo primum Missæ Sacrificium obtulit, ordinemq; gratiâ prosequitur.*

Illustrissimo Capitulo Cracouiensi.

TRes Coronæ, Solis vberiores radios in subiectas reflectunt Palmas &c. Lemma: *A cœlo concessa refundit!* Subscriptio: *Gratiosissimo respectu & aspectu, tum Montem Clarum, tum Rupellam exhilarat, fauoreq; fouet.*

Illustrissimo Capitulo Varsauiensi.

CApur S. Ioannis Baptistæ, ad quod è proximo Palmeto Genij Palmas deferunt, & venerabundo obsequio Palmas substernunt, ijsdemq; stipant, ornant &c. Lemma: *Fidelem impendit Honorem!* Subscriptio: Montem Clarum cum Odigitria Imagine amplioribus prosequitur fauoribus, & Ordinem, quem & ad Varsauiensem Fundationem fidelibus promouit conatibus.

Perillustri, ac Reuerendissimo D. Nicolao Oborski, Episcopo Laodicensi Suffraganeo Cracouiensi, &c.

LIlium Gentile, quod desuper irrorat Luna &c. Lemma: *Sic non marcuit unquam!* Subscriptio: *Vires corroborante cœlo, Montem Clarum deuotionis, ac Sanctitatis exemplis, tum grauioribus illustrauit laboribus.*

Illustrissimo, ac Reuerendissimo D. Andreæ Trzebicki, Episcopo Cracouiensi Duci Seueriæ.

CYgnus ad Flumen limpidum cantans. Aues admirantur, & assistunt venerabundæ &c. Lemma: *Recreatq; ornatq; canendo!* Subscriptio: *Singulari Montem Clarum protectione fouit, Aulam Marianam Sanctitatis exemplis, & laboribus ornauit, & muneribus.* Aliquot annis ante decessum, cum suæ Diœcesis Clero pedes Montem Clarum subibat, suo Pontificali exemplo ad imitationem efficacius trahens alios. Anno 1678. dum à Nostris salutaretur Parribus reposuit: *Venio publicas Patriæ necessitates, & priuatas, meaq; nouissima in hoc loco, Deo Patronæq; meæ commendaturus &c.* Ita hic gratiosissimus Olor ante mortem, ad hoc limpidissimum Gratiarum Flumen Mariam insonuit, quam in Odigitria Imagine singulari semper affectu coluit.

Perillustri, ac Reuerendissimo Domino, Adamo Konarski, Præposito Varmiensi, &c.

GEntilis Leopardus gratiosa cum Leonibus Societate in vno Palmeto moratur, &c. Lemma: *Sibi gaudet Sociasse Leones!* Subscriptio: *Montem Clarum, Imaginem Odigitriam Ordinem quem gratiosissima dignatione ad nouam Fundationem eo vocat, singulari affectu prosequitur.*

Et alia hic locum occupant è Stemmatibus Symbola.

Illustrissimis Ducibus Radziuiliis.

AQuilæ Genius insidet, Gentiles Tubas inflat, ad Montem Clarum fertur &c. Lemma: *Perpetuum & hic reddetur Echo!* Subscriptio: *Fauoribus, & muneribus Aulam Virgineam, & eximiæ religionis argumentis decorarunt.*

Illustrissimis Ducibus Visniouiecijs.

GEntilis Luna, Stella, Crux, obijciuntur Solis radijs &c. Lemma: *Hoc clarior ortu!* Subscriptio: *Pijs affectibus, & muneribus Marianam Basilicam dignantur.* Ad plenam augem suæ Claritudinis, erga Mariam quæ est amicta Sole singularem hinc religionem assumendo, Illustriores se euasisse, nec vana existimatione putant.

Illustrissimis Ducibus in Kleuan Czartorijscijs.

IN Columna Virginis Statua, proponuntur præmia; hic Cursûs meta: varij decurrunt hippodromum, sed alij offendunt, alij moràtes longè à termino apparent, Illustrissimorum Ducum Gentilis Heros metam occupat & præmia &c. Lemma: *Ad metam non segnior Heros!* Subscriptio: *Illustrissimi Duces affectuum suorum metam hic posuêre, varijs muneribus, & deuotionis exercitijs Montem Clarum illustrando,* quod vidimus in Illustrissimo Principe Regniquc Primate LegatoNato Casimiro Duce in Klewan Czartorijski, qui quotànis Montem Clarum frequentauit.

Illustris-

Illustrissimæ Domui Danilowiciæ.

GEntilitia Luna Illustrissimæ Domûs ex vna parte, ex altera sol in quo Virgo refulgens, noua luce Lunam Danilowiciam collustrat, &c. Lemma: *Ex hac mihi luce venustas!* Subscriptio: *Pretiosis, & varijs monilibus, muneribus, amoribus, officijs Montem Clarum colit.* Quod hinc illustretur hæc Illustrissima Domus vberius, hinc patet. In Arce sua Vhanensi Odigitriam Imaginem ex hoc acceptam loco veneratur. Miraculosam agnouit, & habet. Quemadmodùm eius Authographum olim Belzensem Arcem, ita & hoc Apographum Vhanensem à viginti millibus Vkrainensium, & Moschorum oppugnata, non tamen expugnata hac Præside permansit.

TERTIA CONTIGNATIO.

Hic Duæ Statuæ Sanctorum Martyrum, quorum solenniter transferuntur Reliquiæ, Sancti HONORATI, & S. CANDIDÆ collocatæ sunt. Hæc ad Nouem cubitos in latum protenditur.

In Superiori eiusdem Contignationis Corona, hæ ponuntur per allusionem ad Stemmata, Symbolorum Imagines.

In Medio, Illustrissimæ Reipublicæ Polonæ.

VIrgo in Monte ad hanc Regius Coronatus Ales, Stemma Reipubl. Polonæ, in rostro Lunam in pedibus palmas & prædam tenens volat, sequitur similiter innumera Aquilarum multitudo Virgini deferens manubias, &c. Lemma: *Grata rependit!* Subscriptio: *Illustrissima Respubl: Polona singularibus dignatur fauoribus, & exemptionibus Montem Clarum præcipue in Regni Generalibus Comitijs, quem cùm deuotione sua illustrasset, etiam Bonorum Klobucensium gratiosissima donatione applicatione, & confirmatione, dotauit.* Scribit Plinius quod Virgo Pullum Aquilæ educauerit, qui adolescens in grandiorem, & validiorem Alitem, nutrici suæ prædam, pro curis in educatione impensis, sæpius ferebat. Hoc habet à Regio Alite Regina Poloniæ, quod cum eum suis fauoribus educat, & fouet, & gratitudinem in trophæorum illatione, & munerum recipit.

Palatinatui Cracouiensi.

GEnius Palatinatûs totius vexillum, in quo Coronata Aquila pedibus Reginæ in throno sedentis subijcit &c. sequitur innumera Cohors, & sua Reginæ acclinat insignia &c. Lemma: *Reginæ hunc pendit Honorem!* Subscriptio: *Palatinatûs Cracouiensis pluribus affectus insignibus Montem Clarum prosequitur, tum in annua visitatione, tum in negotiorum, in Palatinatûs Comitijs promotione.* Ex quo Reginam Poloniæ dicit colitque Mariam, illi sua subijcit insignia.

Palatinatui Sendomiriensi.

TErsissimum Cœlum in quo Luna & Stellæ. Genius Palatinatus tenet Scutum, in quo æquo fulgentes lumine Stellæ &c. Lemma: *Luci cognata Serena!* Subscriptio: *Sendomiriensis Palatinatûs illustres Viri Mariam in hoc loco, vt in cœlo, thaumaturgis fulgentem operibus venerantur, hinc cognato Stellis lumine collustrantur.* Noctis Præses Maria, D E I q; Vicaria siderum lucidissimo stipatur populo; in hoc loco cognata Sanctitatis, & Religionis Lux in Armis Palatinatûs infulget, qui & inter Sæculi vmbras, vmbras non amat in Matris Luminum Mariæ clientelam assumptus.

Palatinatui Lublinensi.

MOntes & Rupes excellæ, in quibus libanotis, & variæ odoriferæ herbarum, arborumq; species. &c. intra scopulos, & juga montium spatians deliciatur Caper (Gentile Stemma Palatinatus) huic Lemma: *Gaudens hic pabula carpit!* Subscriptio: *Magno erga locum Sacrum propendens animo, eundem religione singulari veneratur.* Gaudet excelsis indoles magnanima, quam humiles exosus valles Caper designat. Illustrissimorum hujus Palatinatus Virorum illustre Schema, qui religione singulari hunc *Montem aromatum* frequentant, vt vel ipsa inter cœlestia monstra Capra Iouis Nutrix, ipseque inter duodenum Zodiaci senatum Caper hæc pabula inuidere meritò possit.

Palatinatui Siradiensi.

EX quo semi leo Ruber, & semi aquila candida sub vno diademate sunt Palatinatûs insigne, inter hinc Regium Animal, inde Regius Ales, throno Reginæ dant locum medium, in cujus puluino Diadema aureum, ab vtroque latere, Aquila, & Leone stipatur. Lemma: *Medium occupando beauit!* Subscriptio: *Quot hæc Illustrissimorum Virorum Cunabula educant, educuntq; Heredes, tot eximios Patronos Fautores, Tutoresq; Montis Clari, & Honoris Mariani Propugnatores, Promotoresq; recenset:* Salomonis thronus non tam augusto stipatur satellitio, ac thronus Mariæ cujus Honori, & venerationi præsto Leo & Aquila aduigilant.

Palatinatui Calissiensi.

INter signa Zodiaci prominet Vri Caput Coronatum (Stemma Palatinatus) è cœlo taurica quasi à sua Zodiaci statione cadens, prominet. &c. Lemma: *Sit Nostro hæc gloria Cœlo!* Subscriptio: *Suæ Nobilitatis huic loco deditam indolem hoc insigne denotans, inter Clari Montis assumitur decora.* Portitor Europæ Taurus, (cujus aliquando formam fertur indutus Iupiter) cœlo donatus, cedit Bisonti, quem immortalis gloriæ diademate magna erga Patriam & Ecclesiam Coronarunt merita.

Palatinatui Rauensi.

SOl altiùs prouectus supra montem, Aquila (insigne Palatinatûs) irretorta oculorum acie solem tuetur, postquam plures Aquilæ ad solis contemplationem prouolant &c. Lemma: *Oculis non palpitat vnquam!* Subscriptio: *Grato in hunc locum aspectu, & respectu, Montem Clarum fauoribus suis dignantur, illustres huius Palatinatûs Viri.* Filij Lucis, Matri Candoris Lucis æternæ fauent. Non coecutiunt, fideli deuotionis gratiarum ardentem, lucentemque sole Mariam sæpius hinc sibi propitiam agnoscentes.

Terræ Vielunensi.

PRatum in editiori loco peramœnum, in quo Ouis, in parte inferiori balantem Agnum voce appellat, qui voce Matrem cognoscens celeri passu properat &c, Genius Vielunensis terræ in habitu Pastoritio vexillum vna, altera manu Calicem tenet: &c. Lemma: *Cognoscit Voce vocantem!* Subscriptio: *Intimis, & innocentibus Amoribus Terra Vielunensis hic Mariam colens, eius Honorem promouens, & propugnans, amplioribus eius fauoribus illustrari meretur.* Inter mille Ouium greges, vna quæq; sui partus agnoscit prolem. Et Maria quæ à D. Ephræm appellatur *Agna Immaculata* & ab alijs SS. PP. *Ouis* dicitur, vocat ad se tacitis affectuum suorum insinuationibus. Tantæ Matris se dignam vnus quisq; virorum illustrium terræ Vielunensis plorem declarat, cum affectu,

fectu, & deuotione vocanti respondet. Grata Vox in negotiorum ejus loci promotione, aut Honoris defensione, dignos tanta Matre Filios probat.

Terræ Cuiauiensi.

LEo & Aquila, hoc terreum, illud aereum animal (Stemma Cujauiensis Terræ) in editiori Monte, vnum dextrum Virginis latus, alterum sinistrum stipat. Vtrique Virgo manu blanditur. &c. Lemma: *Huc vtrumq; vocauit!* Subscriptio: *Connata quadam erga Montem Clarum religionis indole feruntur Illustriores terræ Cuiauiensis Viri, quem cùm amplissimis colant affectibus, gratiarum hic Hospita, Hospitalisq; Mariæ, merentur illustrari fauoribus.* Blanditur propinquiori deuotione ad se accedentibus Maria, eosdemq; jugis, suæ præsentiæ solatio, in varijs casibus dignatur.

TOt Illustrissimi Viri, quorum hic singularis recenseri non potest memoria, debet tamen illis in tantæ solennitatis actu publica veneratio haberi, ex omnibus Palatinatibus quanto ferantur erga sacrum Virginis montem affectu, patebat maximè sub tempus Obsidionis Claromontanæ. Dum enim ad subsidium Patriæ ferendum in illa calamitate in solidiores vires Nobilitas Polona coalesceret, & Sacramentum propugnandæ Patriæ diceret, in Confœderationis tenore *Montem Clarum suæ Pietatis in DEVM, Sanctissimamq; Matrem, fundamentum appellat.* Refero Confœderationis tenorem: *Basilicam Częstochouiensem, non in Patria duntaxat sed per Orbem Christianum, votis, & pijs peregrinationibus celeberrimam, aliquot millium exercitu cinctam sacrilego ausu oppugnat, & mœnia tormentis arietat, diripiendi causa thesauros Diuino cultui sacros; atq; vt diruto hoc in Deum, & eius Sanctissimam Matrem Pietatis Nostræ fundamento ausu maiori, ad eliminandam prorsus de regno fidem Catholicam progrediatur, & in eius locum inducat homines peregrinos nouis, & diuersis inter se de religione opinionibus tumultuantes &c.* Cumque hinc sit eximia Laus, tanti in Illustribus Viris, ad Montis Clari propugnationem, Zeli, & religionis, merito & in hac circumstantia Honoris partem habere debuerunt.

QVARTA CONTIGNATIO.

Hæc ad septem circiter cubitos in latum protensa, inter Palmas sub petaso Odigitriam habet Imaginem, quam submisso ad homagium poplite Genius Poloniæ adorat. In scuto scriptum tenens: *Aurea, Sarmatia reuehes, Fortuna salutem!* Ex altera parte Genius Ordinis Protoeremitici pariter è genibus adorans, in Scuto inaratum habet; *Sæculum Nostrum in illuminatione vultus Tui, quoniam complacuisti in eis!* Psalm. 89. Infra Subscriptio: *Christiani Imperatores Pro Fortunæ simulacro Beatæ Mariæ Virginis Imaginem Diuam coluerunt. Hanc exemplo illorum pro Aurea Fortuna jam trecentis in hoc loco Annis veneratur Polonia.* Hic in superiori Corona Symbola.

M. Ducatui Lithuaniæ.

SOlis simulacrum in grandiori cubo Equus ex vna parte, ex altera Miles cataphractus &c. Lemma. *Fit victima Solis vterq;!* Subscriptio: *Per tot Virorum Illustrium Visitationes, & exempla, Montem Clarum veneratur, & beneficijs prosequitur.* Sol, Sola inter omnes singulari exceptione Maria, vt Sol inter sidera effulget, & in hoc loco gratijs calefacit, ardet, lucet huic affectuum victima Gentilis Ducatus Lithuaniæ Heros & Equus submittitur.

Ducatui Russiæ.

IN parte Zodiaci prominet Virgo, ad cujus latus Leo Coronatus &c. Lemma: *Sic ornat vicinior, atq; tuetur.* Subscriptio: *Singulari ad Imaginem deuotionis relatione propendens Montem Clarum intimis fouet affectibus, colit muneribus.*

Vt inter varia cœli Monſtra Leo vicinior defendere tueriq; videtur Virginem; ità veriùs in Poloniæ Ruſſiæque cœlo Honorem Marianum propugnat, ornat tueturq; Leo Roxolanus.

Ducatui Mazouiæ.

MOns Clarus, ſupra quem prominet ea pars cœli, quæ Aquilam ſuis diſtinctam Stellis habet. &c. Lemma: *Meritis cælo additur Ales!* Subſcriptio: *Cùm antea magnis Coleret Montem Clarum, Odigitriamq; Imaginem affectibus, & eius Apographum in ſuo ſinu pro Aurea Fortuna colit.* Iouis Ales, fulminum miniſter, Portitor Ganymedis, quod ad Menſam Deorum miniſtrum tulerit, cœlo inſeri meruit; quid non mereatur & in hoc Clarimontis Cœlo principem locum, & Ales Ducatûs Mazouiæ, qui ad thaumaturgam Mariæ Menſam non Ganymedes, at tot Illuſtriſſimos Viros ſuccollatoribus affectuum humeris transportat?

Supra Odigitriam Imaginem ſub Corona Quartæ Contignationis Illuſtriſſimæ Domus Tomicianæ, & Illuſtriſſimæ Domus Iarnowſcianæ, ac Almæ Academiæ Cracouienſis Inſignia.

Illuſtriſſimæ Domui Tomicianæ.

ALcion in Mari. Placidè nauigat, proſpereque promouet adſpirantibus fauonijs. Genius Illuſtriſſimæ Domûs Anctuarium. &c. Lemma: *Hac auſpice tutus.* Subſcriptio: *In negotiorum Montis Clari promotione, amoribusq;, ac deuotionis monumentis, Marianos demeretur affectus.* Mare eſt Maria. Tomiciana Argo placidè nauigat, dum Maria tempeſtuoſi maris fluctus, tanquam auſpicatiſſima Alcion, componit. Rependunt Mariæ affectum Stemmatis Illuſtriſſimi Heredes multiplici erga locum Sacrum fauore.

Illuſtriſſimæ Domui Iarnowſciæ.

GEnius Domûs Iarnowſciæ Montis Clari, & Ordinis Genio (vtrique in apparatu comico) obuius varia offert bellaria &c. &c. Lemma: *Compenſat amoris amorem.* Subſcriptio: *Montem Clarum Ordinemq; ſingulari proſequuntur ſubſidio, promotione, amore.* Quod patebat tum in Claromonte relictis beneficentiæ veſtigijs tum præcipuè in Conuentûs Noſtri Brdouienſis, negotiorum promotione. Adeoque & ſub hoc actu Genius Montis Clari & Ordinis publico officio fauores, ac amores Honore recompenſat.

Almæ Sanctitatis & Scientiarum Magiſtræ Academiæ Cracouienſi.

DVo Leones duobus Sceptris inferunt Palmas, deſuper, antea Panis portitor Coruus, diadema palmeis complicatum ramis tenens Sceptra coronat &c. &c. Lemma: *Sic juſto famulantur Honori!* Subſcriptio: *Intimis amoribus, fauoribus, in promouendo Mariano Honore in hoc loco conatibus Montem Clarum, Ordinemq; ſemper dignatur.* Regum Principumq; Nutrix ſcientiarum Altrix, Magiſtra Sanctitatis, virtutum Architecta Alma Mater Academia Cracouienſis, quemadmodum amplioribus titulis, & meritis antecedit alia Stemmata; ità ſublimiorem locum obtineat, tanto Mariæ vicinior, quanto Charior.

QVIN-

QVINTA CONTIGNATIO SEV CORONA.

Imago Sereniſſimi Vladiſlai Ducis Oppolienſis, quam duo Leones Palmeo ſerto coronant. Subſcriptio. *Sereniſſimus Vladislaus Dux Oppolienſis, Sacram Imaginem Odigitriam, quam ex Ruſſia Oppolium deducere conſtituerat, hic, prodigijs, & mandato D E I accedentibus. in Polonia reliquit Anno 1382. & Fratres Ordinis Sancti Pauli Primi Eremitæ aduocatos ex Vngaria fundauit.*

Hoc ad præſentem ſoleñitatem maximũ momẽtum erat, hic Benefactorum, Patronorum, Protectorum, Montis Clari, vel in com̃uni vel in particulari (prout anguſtiæ temporis patiebantur) meminiſſe. Nunc vbi Tertium finitur Sæculum, & Quartum inchoatur, vt omnes Fautores, Promotoresq; Hujus Loci, D E V S abunde ſuis gratiis, & ſolatijs cumulet, ſupplicibus votis implorando, Concludo, precorq; vt ex hac ſolennitate ſit Regi Sæculorum Immortali & Inuiſibili ſoli D E O ejuſq; Immaculatæ Matri, & Virgini M A R I Æ, Sancto P A V L O Patriarchæ, alijſq; Sanctis Patronis Honor & Gloria in Sæcula Sæculorum, Amen.